

M. SCABELL
DE SACRE

2.

No A
3-294

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	A
Estado	3
Tabla	
Número	294

31-15

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14

Biblioteca Universitaria
GRANADA

Sala	A
Estado	3
Tabla	
Número	294

4
31-161

R. 2675

SACRÆ DISSERTATIONES
PRÆSERTIM CHRONOLOGICÆ
in Divinam Scripturam

*Ad utilitatem maximè huiusce sacri Eloquij
Cathedrarum in Scholis, & Lectioralium
Canonicatum Candidatorum.*

TOMUS SECUNDUS.

*Continens præcipua, quæ ad Regum Juda, & Is-
raelis temporis rationem attinent, nec non ad
initium, & finem Babylonicæ captivitatis.
In idque enodantur Isaiæ, Jeremia,
Danielis, & aliorum Prophetarum
plurima loca.*

AUCTORE P. VICENTIO MASCARELL

Valentino,

E SOCIETATE JESU,

*Collega olim in Maiori Sanctæ Crucis Pintiano
Collegio, deinadè in Regio Salmanticensi Societatis
Jesu scholastica Theologica, & Sacræ Scriptura
Professore, nunc Pintia in Ambrosiano
Studiorum Præfeto.*

Cum duplici Indice I. Dissert. & Sect. II.
Præcip. Quæst. & Locorum Sacræ Script.
ad quæ illa referuntur.

SUPERIORUM PERMISSU.

Anno Domini 1723.

VALLIS OLETI: Ex Typographia ILDE-
PHONS I A RIEGO.

SACROSANCTÆ VIRGINI,
DEIPARÆ MARIÆ,
INTERPOSITA DIGNITATE
ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI
D. D. FRANCISCI DE PEREA
Granatensis Archiepiscopi.



Ngenita naturæ vires penè omnes sua
principia repetunt: aquæ, postquam
latentes, apertaque vias egerant, in
suam, amaram licèt, originem re-
meant, terrarum imis subeunt, & nota itinera
remetiuntur: Sol præcipiti per orbitam cursu,
quà occiduas petit vndas, in ortus regreditur,
& lucem, quam in gurgite immerferat, ex ip-
so fulgentem revehit. Haud alitèr, Sacratissi-
ma Parens, nunc, vt primùm ex terra nostra
erumpentes apparent, flores, tempus putationis,
& voti advenisse, lætabundus agnosco.

Et quidè m vndè faustè magis hæ literariæ
lucubrationes lucem haurire, ad quas aras
confugere, in quem montis apicem à caligi-
nosa lui Authoris mente recedere, quam secu-
rius tabulam in procelloso tantopere argu-
mento selligere crederent, quàm tei *Facem in
extinctam, (vt Geometra aiebat in Caten. Græc.
in Luc. cap. i.) Templum inaccessum, montem in-
secabilem, & tabulam à Deo conscriptam*

Quo iure possem, tibi donum subtrahere,
quod, te fovente conceptum, & tuo favore
natum adolevisse, gloriatur? Nullo quidem, si
mentem in operis obiectum, & meos erga id
conatus intenderim; etenim, si ij sunt lacrae
paginae adyta referare, cui melius se listet sa-
cer iste labor, quam Maria? *Ex hac enim*, (sic
D. Bernard. *serm. 3. super Salve Regina*) & ob
hanc, & propter hanc *omnis scriptura facta est,*
propter hanc totus mundus factus est: Si divina
Oraculorum velamina aperire? *Tu es summa*
divinorum Oraculorum, de te resonant omnes spi-
ritus Interpretes: Cum & omnes *scripturarum*
Interpretes Mariae Vestigales, & tributarij, ex
Cretenfi *Encom. 2. de Dormit. Virg.* sint; unde
quidquid ingenij vomere excoluerint, in Ma-
riae cultum pensitare tenentur. Sub tanto tui,
etsi indignus, vestigalis, & tributarij munere,
librum grandem, quem ex praeepto Isaia
recepit, mihi ex tua dignatione praesumo: te,
inquam, quam Sacri Interpretes librum illum
depinxisse, ferunt, in mei libelli capite expan-
do: *Te dignitate, scientiae profunditate, & mul-*
timoda difficultate, sententiarum inscrutabilitate,
atque omnimoda utilitate multiformiter
grandem, ut non minus scire, quam pie Ri-
chardus a S. Laurenio *lib. 12. conscripsit.*

Eo obsignatum nomine, sibi opus istud
perennabit lucem, & quam ab Authore mu-
tuari dignitatem non valuit, sub umbra, & tu-

tamine tuo adepturum, fidens sum. Accedent alij
ad tua limina ex vberibus thesauris suis mag-
na defferentes dona; alij ego, si non magna,
maiora, quae possum, tibi dicatum, non vere-
cundus pervenio. Alij opimos fructus, flores
ego, quos per foecunda aliorum vireta, mente
pervolans, legi; & ut Lyricus cecinit

Apis Matinae

More, modoque

Grata carpentis thyma, per laborem

Plurimum circa nemus, vividique Tyburis ripas.

Nec inani consilio, flores tuae Maiestatij la-
crandi se offerunt; tibi, quae florum Regina
ex Divi Bernardi sententia, *serm. de Pas. Dom.*
cap. 17. tota flores, nullius floris expers, tibi, quae
inter exuberantes divini amoris flammis flo-
ribus fulciri iubebas, *cant. cap. 2. Ps. 5.* De tuo
locuplete censu, & praedivite gazarum suppel-
lectili exilia haec, incomptaque donaria, mihi
suppetit, tibi nuncupare, seu potius reddere
libens adigor, ac flores istos, lucem visu-
ros, demisse sacrare. Accipe igitur haec tenuia
libamina, quae noster incultus ager pro-
tulit; nec mirabile visu, arva quamtumvis ari-
da, in tui obsequium Violis, & Rosis induta se-
se ostendere, cum etiam de suo conficto Mar-
te fides superstitiosa habuisset, spicula in lilia,
in Rosas aratas hastas, speciem mutasse, atque
inter rubentes sanguine galeas, & ferreos bel-
li apparatus floridum se explicuisse apicem,

deliciasque explicuisse, hinc numerosus, & elegans pangebatur alter

Mavortia signa rubescunt

Floribus, & subitis animantur frondibus hastis.

Aspice benigno ore, non tam donum, quam referentis animum, qui in vna cordis ara, quidquid excellentius tibi inhiat, litare. Quid enim pretiosis materia hostijs lataberis, quæ supremi Numinis inexhaustis divitijs affuis. Gaude æternam, Dominatrix alma; gaudeat humanum genus, quod, cum nullius bonis egeas, ipsum veris divitijs ditasti, dum è tuo purissimo gremio enixa, suæ libertatis pretium dedisti; ac tandem cum tuis dignè detissimo elogijs, Andrea Cret. *serm. 2. in illud Isaiæ cap. 8. summe tibi librum grandem. Gaude non scriptus Virginitatis typus, sanctitatis bractea, Rationale manifestationum; salve veteris, novique Testamenti obsignatio; totius prophetiæ perspicua plenitudo; inspirata à Deo veritatis scripturarum acrostichis; Dei, ac Verbi animatus, ac mundissimus Tomus, in quo, sine voce, sine scripto, inscriptor ipse Deus, ac Verbum quotidie legitur.* Excipe ergo, ornatissima Virgo, à me inconcinnum munus; quod si gratè accepisti, sumptuosius ornasti.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI;
PRÆSTANTISSIMO DOMINO
D. D. FRANCISCO PEREA,
GRANATENSIS ARCHIEPISCOPO,
REGIOQUE CONSILIARIO.

Beneficiorum memoriam, Spectatissime Antistes, confenscere numquam debere, aiebat Seneca 4. de *Benef. cap. 2.* sed grati animi signis esse ita colenda, ut vires ipsorum monumentum semper, & marcescens numquam appareat; Idcirco Casiodorus, regnorum Theodoricis nitidissimum fulcrum, urbis Exarcho imposuit, ut aneas labentes Elephantum statuas in antiquum, quod perdiderant, decus novaret, ne, fatali involuta casu, gratitudinis simulacra iacerent. Hæc mente, ego, qui à tempore, quum primum in meo Societatis Regali, Salmantino Collegio Theologiæ clemētis operam navare incipiebam, beneficentiæ tuæ, me iuvene obæratum, & honoratum agnosco, meque gratitudinis erga te imaginem adumbrare, tentabam: sed quibus muneribus in virum adeo benevolum decertare, mihi fas erit? si ut Elegiacus Poeta ceci nit,
Non habet unde suum paupertas pascat amorem.

Novam forsitan miraberis, ac peregrinam
solvendi artem, dum aliam non esse videas,
quam pro antiquorum beneficiorum referen-
da gratia, in nova ferenda, te posci. Nec con-
siliū istud me fessellisse, arbitrabar; quid enim
pretiosius, quam benefaciendi materia, mag-
ni Herois genio pietate, & religione præstanti
indulgebit? Quid ipsum magis decebit, quam
pro dignitatis munere, Superis pauperum hos-
tias sacrare? Hac de causa, Mecoenas amplissi-
me, cum hominū, & Cælorū oblectamēto, Dei-
paræ Virgini opus meum, etsi infabre contex-
tum, dicare parabam; dum secum volatabat
animus, quā in summi culminis fastigia evehe-
retur studium, tua sese illicō menti obijciebat
dignatio, quasi, hac tantummodō via, pussilla
victima, tuarū insularum splendore velata, ex-
celsa adeo limina, & vota simul contingeret.

Nec ad illibatas tantæ Maiestatis aras
exiguitas mea accedere audens esset, nisi te
duce, clarissime Dynastes, sive tuas virtu-
tes, sive quibus renides, naturæ dores per-
pendam: testis est quā maximè percelebris,
illa Palladis, & Nobilitatis Arx, Maius Con-
chense Collegium, cum te, & Collegam, &
Rectorem inter cæteros, velut Cælum inter
sydera Solem, clarescere, gloriabundum sibi
plaudebat. O si votis liceret, ad tuas, vt pat
est, adornandas virtutes, infra Semeles, & Phae-
tontis casus, & supra Pygmalionis, Prome-
theique sortem, in illa tuæ nativæ eloquentiæ

flamma ingenium accendere: in illa, quæ Am-
phionis vim, & dulcedinem superans, magne-
tica vi, secum cuncta trahebat: identidem pol
conspexi, sive te in concionem paratum, sive
in Minervæ Palæstram decertaturum descen-
dere, evulgarer fama, vel doctissimos quosque
avidè ad te audiendum convolare.

*Tunc certatim tota accurit ab urbe inventus
Auditura virum.*

De illo eruditionis tuæ blando modulami-
ne etiam eloquar, quod Salmanticæ urbem, &
suum scientiarū præclarissimū propugnaculū,
dum illa inimicæ Lusitanæ phalanges in co-
ronam cingebant, dum tormentis spem salutis,
& languentia mænia quassabant, dum ædificijs,
& incolis vltimum inter ferrum, & ignem mi-
nitabat exitium, in vitam, & libertatem erexit:
tu quippè non alia Palladis ægide, non alijs,
quàm facundiæ fulminibus Vicecomitis de
Fontearcada, inimici exercitus ducis, manus,
& animum, armis, & horridi Martis ardore nu-
dasti, & eius mentem pluribus, quàm ab Her-
culeo ore catenæ aureæ fangebantur pende-
re, in, quæ tibi libuerunt, fœdera devinxisti.
Verū quid mirum, si vt numerosus modu-
labatur vates

*Vim Laertiada, brevitatem vincis Atrida:
Dulcia seu mavis, liquidoque fluentia cursu
Verba, nec incluso, sed aperto pingere flore,
Inclytæ Nestorei cedit tibi gratia mellis.*

Qui-

Quibus coloribus, quo penicillo sapientiae tuae decor exprimi satis valebit? vnum de eadem dicam, quod ob illius eximium culmen, equius, ac ab Apollinis oraculo quondam Lycurgus, superis simillimus poterat praedicari. Ingenij tui flumen, & scientiarum copia in omnes meriti gradus te extollunt: vtriusque, vel in vno *Lydiolapide*, examini, & communi luci lapidem Lydium dedisti.

Ex his dotibus minima nostra Societas aureum suae doctrinae germen te iam abunda concelebrat: & sibi tanto filio sua Schola blanditur; iure quidem, cum eam tot amoris documentis prosequutus, post innumera, vltimum crexeris tui grati animi monumentum illius Eximio Doctore P. Francisco Suarez (cum quo in eisdem cunis, & aulis Granatae primas vitae, & sapientiae auras coepisti) dum tuis impensis conatibus, haud imparique munificenciae praclarissimi tanti Didascalii doctrinae Cathedralam in Salmantino Musaeo fundasti;

Hac vivit, conpletque vagis sermonibus aures

Gloria fusa tui, quam nec ventura silebunt

Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Eiusdem Lycei, & eruditionis diligentia quam pridem vocibus Primatis Toletanae Ecclesiae, quae te in Canonicum optabat, tuas clausit aures, & tui luminis decori velut denuò cessisti ob Salmaticae Athenaeum, quod inter suos Principes Doctores, & Magistros clarissimo calcu-

lo numerabat. Sic, vt Theodoricus de Casiodoro aiebat, *non facili felicitate proventus, fortuna ludo, ad apicem fascium repentinis successibus evolaisti; sed, vt crescere virtutes solent, ad fastigium praemonij conscendisti, gradibus dignitatum.* Haec illa sunt fluentia vberimnis beata tractibus, quae postquam omnium suffragijs in Salmanticensis Ecclesiae Poenitentiarium attulerunt, inde ad Supremum Placentinae dioeceseos gubernaculum sustulere. Ibi Solis adinstat omnia lynceo obtutu perlustrans, vitia exurens, virtutes fovens, egestati consulens, effulis habenis, maiore luce fulgere coepisti,

— — — *Actusque priores*

Commendat repetitus honor.

Quandoquidem Pastorem vigilantissimum agens, & commissi tibi ovilis curae, totis animis, incumbens, dies, noctesque ellaborabas; profussa manu miseris subveniebas; doctrinae, & exempli pabulo felicem gregem pascebas; quot tuae egregiae pietatis exempla in testes posse adducere? profero, Illme. Hieracha, quae conspexi, & quae sublimiora, quam quae de te, favorabili murmure, fama sparserat, inveni, dum sacrarum expeditionum ministerium sui tua dignatione, & delectu, in ea dioecesi sortitus: verum preman omnia silentio, siquidem ea in verba transferre, perinde foret, vt de Theodosij virtutibus loquebatur Ennius, ac si *aetherei axis in numerum vellem ornamenta re-*

*digere, & Trionum fulgore comprahenso, cali de-
corem describere.*

Ipsæmet virtutes tuam solè dignitatem testentur: ipsarum claritudo in supremam Archiepiscopalis Granatensis Ecclesiæ sedem è nostris confinijis subtrahit, evexit: ex ipsis tandem, nobilissime Præsul, in opus istud, Virgineis offerendum aris, luces exudent: tua, specialiori iure, interest, holocausto huic ex sacræ pagine floribus, et si incõcinnitèr delineato, tua amplitudine, & comitate favere; tua, inquam, cui Sacræ Scripturæ Antecessori divina oracula pandere, in Salmanticensî Academia meritissimò contigit,

Vi tua, quid valeant munera nostra probent

Excipias auspex in nostræ nunquam defutura gratitudinis tesseram, fiduciam, qua te futura in me merita in hoc vno congerere, demissè intendo;

Qua potes, excusa, nec amici desere causam,

Quo pede cœpisti, sic benè sempèr eas.

Quod reliquum est, Pastor evigilantissime, te Deus immortalis ad sui nominis gloriam, & tui fortunati gregis solamen, lumen, sospitem quàm diutissimè tueatur, & servet.

Post dexteræ osculum,

Illustrissimæ tuæ Dominationi
obsequentissimus

Vicentius Mascarell.

FA:

FACULTAS RELIGIONIS, ORDINARIJ
& Regij Consilij habetur initio
Tomi ptimi.

E R R A T A.

P Ag. 50. lin. 10. Vulga, corrige Vulgata. P. 53
l. 16. agerit, c. egerit. P. 54. l. vlt. Cam, c.
Cain. P. 58. l. 15. Scripturæ, c. Scripturæ. P. 60.
l. 6. demptio, c. demptis. P. 61. l. 15. conse-
quens, c. consequens. P. 63. l. 8. patret. c. pa-
tre. P. 70. l. 16. Gordus, c. Gordonus. P. 88. l. 1.
Saulis, c. Sauli, & l. 8. Arca, c. Arcam. P. 118.
l. 23. fulcitèr, c. fulcitur. P. 122. l. 15. libri, c. li-
bro. P. 139. l. 21. duos, c. duobus. P. 159. l. 18.
filius, c. filij. P. 179. l. 1. tradis, c. traditis. P. 193.
l. 20. odem, c. eodem. P. 197. l. 15. Japhat, c.
Jofaphat. P. 206. l. 17. v. 18. c. v. 8. P. 215. l. 21.
præcito, c. præcitato. P. 243. l. 1. perpenenda,
c. perpendenda, & l. 14. Sponsem, c. Sponsæ.
P. 254. l. 22. vecem, c. vocem. P. 261. l. 19.
Urbis, c. Urbs. P. 270. l. 15. henbeda, c. habenda.
P. 291. l. 25. aperte, c. apertè. P. 301. l. 12.
conjuectura, c. conjectura. P. 317. l. 19. cœpiti-
te, c. cœpisse. P. 324. l. 17. senis, c. senio. P. 336.
l. 18. solom, c. solùm. P. 385. l. 23. multiplis, c.
multiplicis. P. 413. l. 26. ahzret, c. adhæret.
P. 435. l. 12. patior, c. potior.

FEE DE ERRATAS.

Estos Libros, intitulos, *Sacra Dissertationes* del P. Vicente Mascarell de la Compañia de Jvsvs, y con estas erratas corresponden à su original. Madrid, y Septiembre 20. de 121.

Lic. D. Benito del Rio y Cordido,
Corrector general por su Magestad.

TASSA DEL CONSEJO.

Don Balthasar de San Pedro y Azevedo, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que aviendose visto por los Señores de el las Obras del Padre Vicente Mascarell de la Compañia de Jvsvs, en cinco Tomos en octavo, que con licencia de dichos Señores han sido impressos, y tassaron à ocho mrs. cada pliego, y los cinco tomos parece tienen ciento y veinte y cinco, sin principios, ni tablas, que à dicho respecto montan vn mil mrs. y à este precio, y no mas, mandaron se vendan los referidos Libros, y para que conste, doy esta certificacion en Madrid à veinte dias del mes de Septiembre de mil setecientos y veinte y vn años.

Don Balthasar de San Pedro.

BENEVOLO LECTORI.

IN publicæ lucis aleam prodit secundum in Deificas literas mearum lucubrationum Volumens: exiguum equidem, at si veritatis scopum, in quem paupertina mea collineat eruditio, assequutus fuerim, haud exilis erit utilitatis: *nullum sapientis opus est exiguum*, aiebat Philo *supra Tertulianum lib. de Anima c. 2.* sed, vt cum Plinio eloquat *in Praef. Hist. ad Vespas.* *Non fiducia operis hæc est, sed indicatura.* Nisi forte ex *indicators* aulim fiduciam presumere; cum vel præsumptæ aventiæ aliquantula dignatio tua audaciam afflaverit meam; quandoquidem edocente Ennodio, *lib. 4. Ep. 40. credulitas subleuat humiles, premit invidios potiores*: pertimescit sanè in tam vasto sapientum hodie pelago ingenioli nostri cymba velificare; nihilominus spei anchoram vel ex eo desumo, quòd ex Senecæ præceptione, *Ep. 75. imitor Apes, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt.* Quæ enim idonea ex diversa lectione Patrum & apprimè sapientum Interpretum congesti, adhibita studij cura, & facultate, in vnum saporem suadendæ veritatis, tuendæque Vulgatæ Latinæ Editionis, variâ libamenta confeci; vt obtinerem saltem edoceri, iuxta illud *Proverb. cap. 11. §. 15 Qui inebriat, ipse inebriabitur*, vbi Paraphrastes Chaldæus, *Qui docet etiam ipse discet.* Cum igitur

tur temporis ratio ad sacrarum literarum intelligentiam opem ferat plurimam, vt cerne-
re est ex ipsa annorum annotatione, quæ in
Divinis Codicibus identidem adhibetur; aliunde
in multos impingere scopulos, proclive
sit, nisi huiusce Divini Eloquij loci complures
adamusim perpendantur; idcirco hanc operis
molem subire, Deo propitiante, adortus
sum; ac ne animo caderem, suppetias mi attu-
lere, quæ exaravit Richardus de S. Victore in
Proemio ad Descriptionem Tabernaculi fœderis:
vbi inter plura, quæ fortè solatio, aut excusa-
tioni mihi esse queunt, inquit: *Hæc propter il-
los dicta sunt, qui nihil acceptant, nisi quod ab
antiquissimis Patribus acceperunt. Sed qui assiduè
producit novos fructus ad recreationem homi-
nis exterioris, nunquam credendus est, nullos
de cætero scientiæ profectus impertiri ad inno-
vandos sensus hominis interioris? Ubi ergo illud
est quæso: Pertransibunt plurimi, & abundabit
scientia? Sic ille: qui propterea ad scribendum
calcar mihi addidit, etsi ad literarium laborem
quasi recenti adhuc sim incude formatus: At
necessitas veniæ, optimorum etiam appendix
est, iuxta vetus illud Acroama apud Lipsium
in *Prol. ad stoic. Philos.* Nullum sine venia pla-
cuit ingenium: vtque eleganter pijsimus infit
Ennod. *lib. 4. Epist. 3.* Verum est, quia sola apud
Deum desperatio perdit errantem: Ecce iam to-
llum nostrum, spine, vel tribuli, bordea, triti-
cum vineas pollicentur.*

AN-

ANTELOQUIA

AD FACILIOREM
SACRÆ SCRIPTURÆ,

INTELLIGENTIAM

CONSENTANEA.

ANTELOQUIUM VII.

SENSUUM DIVINÆ SCRIPTURÆ
divisionem optimam esse, ostendit.

I



ACRÆ Scripturæ sen-
sus divisionem, quam
*Volum. 1. Anteloq. 6.
num. 5. & 6.* deliba-
vimus, in præsentia-
rum fusius stabilire, &

elucidare aggredimur: in idque adnotan-
dum primò, ineptè, & falsò dixisse impium
Calvinum, in *Psal. 22. tom. 3. Lat. Uvitem-
berg. Thomam cum Lira, & suis in orbem vul-
gasse quadrigam illam sensuum Scripturæ,* li-

A

te.

2 *Anteloquia ad faciliorem, &c.*
teralem, tropologicum, allegoricum; & anagogicum. Siquidem quadrimembris ea divisio licet à Doct. Angelico D. Thoma mirificè illustretur 1. part. *quest. 1. art. 10. & Quodlibeto 7. art. 14. & 15.* nihilominus antiquior multò est Sancto Thoma, & Lirano: imò ex ipsis Sacris eloquijs, & communi Patrum sententia diducitur.

2 Et quidem Magnus Ecclesiæ Pater D. Augustinus, *lib. 1. de Genesi ad literam, cap. 1. In libris (inquit) omnibus sanctis inventi oportet, quæ ibi aeterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur, vel moveantur. Ubi in factis, quæ narrantur, literalis sensus habetur, in futuris quæ prænuntiantur, Allegoricus, in aternis quæ intimentur Anagogicus, in his verò quæ præcipiuntur, vel de quibus monemur, tropologicus seu moralis.* Concinnant Eucherius in *Pref. lib. Spiritualium formarum. Calsian. collat. 14. cap. 8. Venerab. Beda sup. Gen. in princip.*

3 Deinde allegorici, & moralis sensus præter literalem, meminit Origenes *lib. 4. Periar. cap. 2. Et homil. 2. in Genesim*, necnon D. Hieronymus *sup. 16. Ezechiel.* ubi petit exemplum sensus literalis ex illo D. Pauli 1. *Corint. cap. 10. Non fornicemur, sicut quidam*

Sens. div. Scrip. division. Antel. 7. 3
eorum fornicati sunt. Et Moralís ex illo 1. Corint. cap. 9. Non alligabis os bovi trituranti. Et Allegorici ex illo ad Ephes. 5. Propter hoc relinquit homo patrem, &c. Quod ibidem explicat Apóstolus esse Magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia. Quadruplicemque præfatum sensum quam optimè declarat D. Thomas 1. part. quest. 1. art. 10. ex Apóst. ad Hebræ. cap. 7. Et ex D. Dionysio cap. 1. Ecclesiast. Hierarc.

4 Quinimò quatuor præfatos sensus, invenite possumus in vno eodemque Scripturæ loco, nempe ad *Galat. cap. 4. vers. 22. ibi: Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenti. Unum quidem à Monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar, Sina enim est mons in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem, quæ sussum est Ierusalem, libera est, quæ mater nostra. Scriptum est enim, letare sterilis, quæ non parit erumpe, & clama, quæ non parituris, quia multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc*

4 *Anteloquia ad faciliorem, &c.*
is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita, & nunc. Hæc Apostolus.

5 Et quidem sub illis verbis: *Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit, &c.* Est sensus historicus, & literalis: & ab illis: *Hec enim sunt duo testamenta, &c.* sensus Allegoricus, qui scilicet continet prædictionem eorum, quæ postea in veteri testamento, & deinde in novo evenerunt, & futura sunt usque ad mundi finem: ab ijs: *Illæ autem quæ sursum est Ierusalem, &c.* sensus Anagogicus, continens ea, quæ complenda in Cælo sunt. Denique ab illis: *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur, &c.* sensus Tropologicus, seu moralis, mores scilicet nostros instruens, vt nempe spiritus carnem subijciat.

6 Ad hæc, in ipsa voce *Ierusalem* complexi reperiuntur quatuor illi sensus ex sententia D. Hieronymi in cap. 16. *Ezech.* cui adsentiuntur communiter Doctores; namque ea significat literaliter principem Civitatem Palestinæ; Ecclesiam Militantem allegoricè, Triumphantem anagogicè, moraliter, sive tropologicè animam. Consimiliter, Sabbatum significat literaliter festum, allegoricè requiem Christi in Sepulchro, tropologicè requiem, & cessatio-

Sens. div. Scrip. division. Antel. 7. 5
tionem à peccatis, anagogicè requiem Sanctorum in Cælis: sic animadvertunt P. Menochius, *Prolog. in Scriptur. cap. 3.* Et Bonfrierius in *Genes. tom. 1. cap. 20. Præloquior. sec. 3.*

7 Sed quispiam opponat, prælibatam divisionem haud adæquatam esse: quoniam præter quatuor illos sensus reperitur alius in Sacra Scriptura, videlicet accomodatitius, quo frequenter Patres vtuntur. Respondetur: Sensum huiusmodi non esse sensum Scripturæ Sacræ formaliter sumptæ, vtque Sacræ, & à Spiritu Sancto ad aliquid explicandum applicatæ, sed tantum materialiter sumptæ, & prout eius verba ab alio quàm ab Spiritu Sancto ad quidpiam significandum applicantur. Sic edocent P. Valentia 1. part. disp. 1. quest. 1. punc. 5. Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 14. cap. 1. Tannerus disp. 1. quest. 5. dub. 2. assert. 4. Bonfrierius tom. 1. in *Genes. Præloq. in Script. capit. 20.* Acosta l. b. 3. de Christo revelato à cap. 6. Et Anton. Perez, Benedictinus in *Pentateucho scilicet. vol. 3. dub. 12. num. 15.* ac ceteri Scholastici, & Interpretes: plura circa hunc sensum accomodatitium tradentur postquam de alijs sensibus singillatim locuti fuerimus.

ANTELOQUIUM VIII.

PRÆLIBATA SENSUUM DIVISIO SIT
ne accidentalis, aut essentialis?

1 **D**ubitacionis esse potest, an prædicta sensuum Scripturæ divisio sit accidentalis, aut essentialis? Et quidem quoad subdivisionem sensus mystici in Allegoricum, Anagogium, & moralem, esse quasi accidentalem, existimat P. Valentia in 1. part. *disput.* 1. *quest.* 1. *punc.* 5. quia nimirum desumpta est, vel ex vario tempore, quo res significantes, aut significatæ sunt gesta, aut geri debent; vel etiam ex eo, quod res significatæ debent à nobis ipsis fieri in hac vita. Itaque sensus Allegoricus dicitur veritas gerenda tempore gratiæ, significata autem tempore Legis. Anagogicus autem sensus dicitur veritas significata, quæ sit gerenda tempore Gloriæ, quocunque tandem tempore res illam significans fuerit gesta. Sensus verò moralis dicitur id quod nos ipsi, si vè ex præcepto, si vè consilio debemus facere, quocunque id tempore significatum fuerit.

2 Nihilominus ut magis veritas elucescat, asserendum in primis, divisionem in sensum literalem, & spiritualem seu mysticum, non

non esse accidentalem, sed essentialem: probatur ex præcitato loco Apost. ad Galat. ca: 4. ubi literalis, vel historicus sensus est, Abraham duos habuisse filios, nempe Ismaelem ex Agar ancilla, *Genes. cap.* 16. *vers.* 15. Et Isaacum ex Sara, *Genes. cap.* 21. *vers.* 3. per quos duos filios significantur spiritualiter, ac mysticè duo Testamenta, vetus scilicet, & novum: quæ duo significata plusquam accidentaliter, & omnino inter se differunt, ut ex se patet.

3 Insuper subdivisio sensus spiritualis videtur quoque plusquam accidentalis; id quod ex eo confici apparet; quoniam sensus Allegoricus est circa ea, quæ in tempore gratiæ, & Ecclesiæ Militantis eveniunt, ac geruntur, Anagogicus verò circa ea, quæ geruntur, aut sunt gerenda tempore Gloriæ. Porro autem hæc res significatæ, moraliter valde dissident inter se: Primò, ratione limitati, & exigui huius vitæ temporis, ac futuræ æternitatis. Secundò; quia huius vitæ tempus laboris est; æternum autem in Cælo Gloriæ, & felicitatis: Tertiò, hic noster status est viæ, & merendi: alter termini, & coronæ: Quarto, hic Sacramenta ministrantur, exercentur misericordiæ opera, secus verò in Cælo. Consimiliter sensus moralis differt ab Allegorico; quoniam Allegoricus præcipuè significat quæ hic geruntur,

provt sunt ex Dei beneficio, gratia, & institutione: Moralis verò provt sunt opera ex Dei gratia, cui cooperante nostro libero arbitrio, sunt merita nostra. Quapropter, vt idem P. Valentia inquit: Allegoricus maximè valet ad confirmandum Fidem; eoquod ostendit esse impleta quæ dicta sunt. Anagogicus ad spem erigendam: Moralis ad acuendam charitatem: vnde ab his diversis virtutibus, quas respiciunt, haud exiguam fortiuntur diversitatem.

4 Id quod vterius fulciri potest ex voce Ierusalem, cuius Allegoricus sensus Militantem completitur Ecclesiam, Anagogius autem Triumphantem: inter quas plura sunt valde notabilia discrimina: Tum quia licet anima, quæ moraliter sub eadem voce significatur, contineatur in eadem Ecclesia, tamen est pars, quæ valdè à reliquis distinguitur partibus, vel ratione sui status, & muneris, vel ratione operum, provt sunt ab ipsius libero arbitrio, tum à se ipsa, vt in Cælo beata.

5 Præterea observandum cum Angelico Doctore D. Thom. *lect. 6. in cap. 4. ad Galat. Et quodlib. 7. art. 14. & 15.* non esse necesse, quemlibet Scripturæ locum hos omnes quatuor sensus habere: satis quippè est, si omnis habeat sensum literalem, vel proprium, vel metaphoricum; certum tamen est omnes locos

cos veteris Testamenti, qui continent rem aliquam ex voluntate Dei gestam, habere etiam spirituales aliquem sensum: id enim probatur ex illo Apostoli testimonio. *1. Corint. capit. 10. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Et ad Hebræ. cap. 10. umbram enim habens lex futurorum bonorum.* Quin etiam plerique tales loci veteris Testamenti possunt exponi iuxta triplicem præfatum spirituales sensum. Sed de usu sensuum Sacræ Scripturæ plura suo loco tradentur.

ANTELOQUIUM IX.

LITERALEM SENSUM DESCRIBIT.

I SENSUS literalis Sacræ Scripturæ dicitur frequentèr ille, quem voces significant, sive proprie, sive metaphoricè: seu potius est sensus, quem Spiritus Sanctus immediatè intendit per verba, sive usurpata proprie, sive etiam haud rarè improprie, vt cum Ioan. *cap. 15. vers. 5. dicitur: Ego sum vitis, vos palmites.* Et Matth. *cap. 5. vers. 29. Et cap. 18. vers. 9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice eum abs te.* Et Genes. *11. vers. 4. faciamus nobis Civitatem, & turrem, cuius culmen pertingat ad Cæ-*

Cœlum, & Reg. lib. 3. cap. 18. vers. 27. clama-
te voce maiori: Deus enim est, & forsitan loqui-
tur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut
certè dormit, ut existitur.

2 Primus enim locus horum literaliter
vitem, & palmitem translaticie, ac metapho-
ricè sumptos significat, id est Fideles, ut Chris-
to per gratiam, Fidemque, Spem, & Charit-
tatem coniunctos. Secundus abscissionem ocu-
li, per metaphoram, prout nihil aliud est,
quàm abijcere quem à se rem oculis chatio-
rem, ac luce magis dilectam, si animæ, ac
saluti spirituali est nocitura. Tertius hyperbo-
licè, turrem ingentis magnitudinis. Quartus
per ironiam etiam, eamque scommate, & con-
vitiio plenam, Baal trunci, aut saxi instar suos
non exaudire, nec ijs præstò esse posse, cæ-
cosque proinde, & amentes esse, qui in eum
crederent. Equidem si non figuratè, sed prop-
riè accipiuntur superiora Scripturæ verba,
erit ut sint falsa valde, & absurdissima, ut in-
tuenti constabit. Definiunt autem ut supra
sensum literalem P. Arrubal in 1. part. quest. 1.
art. 10. disp. 8. cap. 2. Payva in Doctrinali
Script. lib. 1. cap. 2. num. 4. Et communiter
allij Scholastici, & Interpretes.

3 Hic autem animadvertendum, distingui
ex genere suo metaphoram à similitudine, seu
com-

comparatione, ut identidem docent Ecclesiast-
tici Authores, signantè P. Molina 1. part.
quest. 1. art. 10. disp. 2. Gilius lib. 2. tract. 7.
de Locis, capit. 2. tum prophani, præsertim
Quintilianus lib. 8. cap. 6. sic inquires: In to-
tum metaphora brevior est quàm similitudo; eo-
que distat quòd illa comparatur res, quàm volu-
mus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. Compa-
ratio est, cum dico, fecisse quid hominem, ut Leo-
nem. Translatio est cum dico de homine, Leo est,
sic ille. Unde cum dicitur Apocalyps. cap. 5. vi-
cit Leo de Tribu Iudæ, Leo sumitur metaphori-
cè; sed propriè cum dicitur 1. Petri, capit. 5.
Adversarius vester Diabolus, tanquam Leo ru-
gens circuit, quærens quem devoret.

4 Et quidem, licet verissimum appareat,
quòd ad notavit Caietanus in 1. part. quest. 1.
art. 10. Scripturæ metaphoras non esse simpli-
citer necessarias, sed utiles, ut etiam docent
Angelicus Mag. D. Thom. præcit. art. Et D.
Dionysius cap. 2. de Cœlest. Hierarchia; quid-
quid enim dicitur metaphoricè potuit propriè
dici. Ut in Apocalypsi poterat propriè dici,
vicit Christus, ubi dicitur metaphoricè, vicit
Leo. Nec quispiam ibit infitias, infinitam Dei
sapientiam, potuisse proprio loquendi gene-
re, optimè nobis suam mentem declarare. Ni-
hilominus utiles esse huiuscemodi metapho-

12 *Anteloquia ad faciliorem, &c.*
ricas locutiones complures evincunt ratio-
nes.

5 Prima est D. Hieronym. *lib. 7. in Isai. cap. 18.* Theophilact. *in cap. 13. Matth. Origen. homil. 7. in Ezechiel*, vt scilicet obscuritate methaphoræ nos excitet Scriptura ad petendam à Deo intelligentiam. Secunda Theophilacti *in cap. 11. Luca*, vt Scripturarum studiosi attentiores, & diligentiores sint. Nam & hanc quoque ob causam dicit Ammonius, *prafatione in prædicamenta*, Aristotelem affectasse obscurum in suis libris. Tertia D. Gregorij *homil. 10. in Ezechiel.* D. Augustin. *lib. Contra mend. cap. 10.* vt habeamus eo plures interpretationes congruas, pluresque sensus spirituales eruantur ad ædificationem Fidelium. Quarta D. August. *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 6.* vt Divina Mysteria, metaphoris velut custodita, & ornata, nobis ipsis non vilescant, aut pariant fastidium.

6 Quinta eiusdem D. August. *ibidem*, & Clementis Alexandrini *lib. 6. Strom. non longè à fine*, nempe ad domandam superbiam nostram labore. Sexta D. Chrisosth. *homil. 38. in Matth.* Et D. Thom. *1. part. quest. 1. art. 10. Et in 1. dist. 34. quest. 3. art. 1. corp.* vt Sacra Mysteria melius percipiantur, & firmiter memoria inhaereant, vt enim observat Caietanus,
vi-

Literalens sensum describit. Antel. 9. 13
videntur res sensibiles supplere in nobis species proprias intelligibiles rerum divinarum: tum quia sic melius rudibus consulitur.

7 Septima D. Thomæ loco cit. Et D. Dionysij *cap. 2. Cœlest. Hierac. Et cap. 1. & 2. Ecclasiast. Hierach.* tum Eucherij Lugdunen. Episcopi initio tract. de Formulis spiritualis intelligentiæ, vt scilicet occultentur Divina Mysteria Infidelibus, & prophanis hominibus, iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare sanibus.* Denique locutiones Scripturæ figuratas, & improprias, ex quo tales sunt, ab omni mendacio, & falsitate abesse, ex se perspicuum est, docentque D. Augustinus *lib. unico de Mendacio*, & ex eo Pagninus *in Isagoge ad Literas Sacras cap. 23.*

ANTELOQUIUM X.

SENSUS LITERALIS ULTERIOR declaratio.

I GITUR sensus literatis Sacræ Scripturæ vt percipiatur, hæc observanda: primum, is sensus literalis habendus, qui in divini eloquij verba quadrat non tantum seorsim sumpta, sed etiam provt cohærentia cum antecessentibus, & consequen-

quentibus, ita D. Hieronym. *lib. 2. contra Jovinian. Et in cap. 19. Isaie. Et in Matth. capit. 10.* D. Hilarius *lib. 9. de Trinit. D. Augustinus lib. 83. qq. quest. 69. Et lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 4.* P. Serarius in *Prolegom. cap. 21. quest. 15. conclus. 2.* Salmeron *Proleg. 9. can. 38. Mendoza tom. 3. in lib. 1. Reg. cap. 13. in exposit. literæ.* Cornelius ibidem. P. Franciscus Ribera in *cap. 11. Osee, vers. 11.* Et alij plures. Ex qua regula deducimus, locum illum ad *Herbræos cap. 6. Impossibile est eos, qui senect sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*: intelligendum non esse *de simpliciter impossibile.* Quia ut B. Hieronymus adversus Jovinianum docet, subiuncta verba id declarant, quibus ait Apostolus, *confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.* Ex quibus colligit Hieronymus, impossibile pro difficile accepisse, & per hyperbolem locutum Apostolum. Nam si erat simpliciter impossibile renovari per pœnitentiam, frustra confidebat meliora, & viciniora saluti illorum. Sic etiam animadvertit P. Salmeron loco citato.

2. Nihilominus sunt in Scriptura Sacra haud rarò digressiones ad aliqua non habentia connexionem aut coherentiam vllam cum antecedentibus, & consequentibus, at eæ
fen-

fensum habent literalem. Id notavit Ruicius Abbas S. Facundi *de Regul. Script. reg. 86.* Stapleton. *tom. 1. controvers. 1. part. controvers. 6. lib. 11. cap. 9.* Imò & probatur ex S. Hieronymo *lib. 5. in Isaï. cap. 16. Omnis (inquit) prophetia enigmatibus involvitur, & præcisis sententijs, dum de alio loquitur, transit ad aliud, ne si ordinem Sscriptura conservet, non sit vaticinium, sed narratio.* Quapropter cum Isaïas sermonem haberet de Moab, ad Christum avolat, & inquit: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra Deserti ad Montem filie Sion*: Et post hæc statim subdit, *& erit sicut avis fugiens*, nempe Moab, de quo ante digressionem ad Christum loquebatur: unde Div. Hieronymus, ibi: *Redit propheta ad ordinem, quem cœperat, cum posuero inquit ijs, qui fugerint de Moab, & reliquis terræ Leonem sevisimum, qui eorum artus, ossaque confringat, tunc pavidi avolabunt, &c.* Id ipsum confulcit D. Gregorius, *homil. 5. in Ezechiel. initio. Consuetudo prophetia est, runc ista, nunc illa conspicerè, & ab alijs in aliud subito verba derivare.* Et de D. Paulo, P. Cornelius in eius *Epist. cap. 3. inquit: Apostolus ergò sensu, & rebus turgidus, ad verba, & syntaxim non equè respicit, sed multa commiscet, inserit, incidit, &c.* Idque in Poetarum libris contingere, ad no-
tat

16 *Anteloquia ad faciliorem, &c.*
rat Lambinus in illud Horatij *lib. 3. Carm. ode. 2. Et fideli tuta silentio.* Additque alia exempla apud ipsum Horatium *lib. 1. Carm. od. 3. & 7. Et lib. 2. od. 13.* & alios, tum apud Pindarum.

3 Duo tamen hinc animadvertere oportet: primum, digressiones huiuscemodi reperiri haud rarò in libris, qui præcipuè Prophetias continent, tum in lib. Job, in Canticis, & Hieremiæ Threnis, & Psalmis; in libris verò Historialibus, vt Geneseos, & Regum, ac Paralipomenon, non adeò frequenter. Colligitur ex sententia D. Hieronymi, & Gregorij locis iam excerptis. Secundum: si sensus aliquis quadrat in Scripturæ verba, provt coherentia cum antecedentibus, & consequentibus, is profectò literalis censendus, non verò ille, qui tantum verbis, vt discisis, convenit; aliàs omnis Scripturæ locus haberet plures sensus literales, quod nemo asserit: licet probabilissimum sit, posse in eodem Scripturæ loco plures sensus literales reperiri.

4 Secundò observandum est, quòd licet sensus mysticus sit, qui communiter subdividitur in Allegoricum, moralem, & Anagogicum; at sensus literalis potest quoque consimiliter subdividi; sic docent P. Serarius in *Prologom. cap. 21. quest. 3. num. 7. Et quest. 7. numer.*

Sensus literal. Ulter. declar. Antel. 10. 17
mer. 2. & 4. Antonius Quiròs *tom. 1. in 1. part. tract. 1. proæmi. disp. 11. sect. 3. num. 17.* Lincaus *tract. 8. lib. 1. de Theol. & locis, capit. 3. num. 16.* sic ficulnea arefcens, *Matth. cap. 21.* figura fuit excidij Synagogæ, vt pro re præfenti adnotat P. Molina in *1. part. quest. 1. art. 10. disp. 4.* adeòque sensus iste etsi literalis, est tamen Allegoricus. Deinde innumera sunt morum documenta literaliter in Sacra Scriptura tradita, præsertim in Proverbijs, & libro Ecclesiastici, & alijs; adeoque sensus eorum est moralis seu Tropologicus. Denique quando Cælestia nobis promittuntur, vt in illo Apostoli *1. ad Corinth. capit. 2. vers. 9.* Et *Isaïæ cap. 64. vers. 4. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum.* Sensus utique Anagogicus est. Caterum in communi loquendi, & scribendi usu, subdivisio ista sensus Allegorici, Tropologici, & Anagogici solum sensui mystico adscribitur: & omnis alius sensus sub literalis nuncupatione venit, vt prælaudati Authores observant.

5 Tertiò observandum iuxta regulam D. August. *lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10.* vt quàm maximè fieri possit, interpretemur Doctrinam Sacram in sensu literalis proprio, neque recurramus ad metaphoram, aut tropum, nisi

inusta causa nos cogat ; id quòd cum non observaverit Origenes , Historiam Genesis de Paradiso , tantum spiritualitèr intellexit , & erravit , errorisque huiusce notatur à D. Hieronymo in *Epist. ad Pammachium* ; reprehenditurque eam ob causam ab Epiphano in *Epist. ad Ioan. Hierosolymitan. Episcopum*. Et in *Anchorato* : tom à Methodio in *Dialogo* , cui titulus est *Aglaophon*. Hanc præceptionem adducunt identidem Interpretes Sacri , & Theologi , præcipuè P. Molina in *1. part. quest. 1. art. 10. disp. 2. P. Valentia ibidem , punct. 5. & in Analyti. par. 8.* Et copiosissimè Ioan. Driedo lib. 2. & 3. de *Regul. & dogmat. Sacra Script.*

6 Quartò observandum , ne illa , quæ metaphoricè sunt accipienda , propriè sumantur : quo in errore veteres quidam Authores fuerunt , videlicet Victorinus Pitabionensis , Apollinaris , Tertullianus , & Lactantius , alijque , qui vt refert D. Hieronymus in *capit. 36. Ezechi.* propriè intellexerunt , quæ à Prophetis , & etiam à D. Ioanne Apocal. *capit. 20. de Regno Christi* , post Resurrectionem dicuntur . Atque ita existimarunt , terrestrem Ierusalem , reedificatum iri tunc talem , qualis ibi describitur , & in ea Christum cum suis regnaturum mille annis . Quem errorem confutat etiam D. Augustin. lib. 20. de *Civitate Dei cap. 7.*

Ob-

7 Observandum quintò , id quòd circa Historiam edocet D. Hieronym. lib. *Adversus Helvidium* , & in *Ierem. cap. 28.* *Multi* (inquit) *in Scripturis Sanèis dicuntur iuxta opinionem illius temporis , quo gesta referuntur , & non iuxta quòd rei veritas continebat* : ex qua observatione ait idem Hieronymus intelligi , quare S. Ioseph in Evangelio ab ipsa quoque Deigenitrice Virgine Maria , appellatur Pater Iesu , iuxta opinionem scilicet tunc communem apud Iudæos . Consimilitèr iuxta eundem Hieronymum in *cap. 14. Matth. sub initium*. Herodes dicitur contristatus , (quando nimirum Herodiadis filia petijt caput Præcursoris) quia hoc discumbentes putabant . *Dissimulat enim mentis suæ malitiam artifex homicida , cum iustitiam in facie , & letitiam haberet in mente*. Ad hunc sensum exponendum etiam illud *Ezechiel. 21. occidam in te iustum , & impium*. Ubi iustos vocat Hypocritas , qui sancti in oculis hominum videntur , alioqui Deus non perdit iustum cum impio , vt dixit Abraham *Gen. 28.* loquens cum Deo , vt egregiè interpretatur D. Hieronym. in *cap. 26. Isai. ante dimidium*.

8 Observandum sextò . Multorum locorum Scripturæ obscuros sensus , disertis verbis , esse alijs quibusdam in locis explicatos , idèò operæ pretium est , Scripturam totam as-

fidua lectione reddere sibi familiarem: sicut illud *Psalm. 15. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* D. Petrus ad Christi Corpus, in Sepulchro positum, pertinere est interpretatus, *Actor. cap. 2.* vt iam similia exempla plura præteream, sic monet D. Augustinus *lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 8. Erit enim diuinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit, notasque habuerit, si non dum intellectu, iam tamen lectione.*

9 Observandum septimò, vt sensus literalis congruat alioquin cum sana Doctrina, & cum alijs locis clarioribus Sacræ Scripturæ, & vt possit referri ad finem, in quem referri oportet ea omnia, quæ traduntur in Sacris Literis, nempe ad charitatem, vt præclare docet D. Augustin. *lib. 3. de Doctrina Christ. capit. 3. & 27.* adeoque omninò ac diligentèr seruire oportet sanctæ sententiæ Ecclesiæ. Ita D. Augustin. *lib. 1. de Nuptijs, cap. 20.* illud *1. Corinth. cap. 5. cum eiusmodi nec cibum fumere, & illud 1. Corinth. cap. 10. omne, quod vobis apponitur, manducate,* concilians inquit: *In hac veluti angustia questionis non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas obseruat Ecclesiæ.* Idem Sanctus Doctor *Epist. 59. ad illud 1. ad Timot. cap. 2. obsecro igitur primùm omnium, fieri obseruationes, postulationes, &c.*

Multa (ait) hic dici possunt, quæ improbanda non sunt, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis frequentat Ecclesia.

10 Undè religiosè custodienda sententia Conciliorum Generalium, & eorum quæ à Sancta Sede auctoritatem adeptæ sunt, sic eorum verborum *1. ad Corinth. capit. 1. sine: In Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia,* sensum literalem non esse, quòd iusti simus formalitèr per iustitiam Christi, nobis imputatam, vt Sectarij comminiscuntur, sed tantum quòd Christus sit causa meritoria nostræ iustificationis, constat ex Concilio Trident. *sess. 6. capit. 7. Et Can. 11. & 12. damnan- te illam Sectariorum de causa formali iustificationis nostræ sententiam, aut potius amentiam.* Id quoque quòd Summus Pontifex Romanus generalitèr toti proponit Ecclesiæ, & authenticè decernit, omninò colendum est, constat ex Concilio *Vienen. in clementina vni- ca de Sum. Trin. Et ex Concilio Florent. sess. 25. in fine, & ex Lateranensi sub Leone X. qui articulum Lutheri, hanc veritatem negantis, tanquam hæreticum damnauit; infallibilis quippè est Summus Pontifex ex Cathedra decernens circa res Fidei, & Morum, vt optimè evincunt ex Sacris Literis, Concilijs, & Patri- bus Uvaldens. lib. 3. Doctrin. Mag. Cano lib. 5.*

7. de *Locis*. Cardin. Turcremata *lib. 2. Sum. cap. 109.* & *sequent.* Cardin. Bellarm. *lib. 3. de Pontif.* P. Salmeron *sup. Matth. cap. 16.* & pluribus alijs in locis. Eximius Doct. P. Suarez *tract. de Fide, disp. 5. n. 8.* P. Valentia *tom. 3. disp. 1. quæst. 1. §. 40.* & innumeris doctissimisque, brevitatis causa, omissis Scriptoribus, eandem veritatem illustrat, omnique argumentorum genere pereruditè stabilit Eminentissimus Cardinalis Sfondratus in *Regali Sacerdotio Pontifici Romano asserto, lib. 3. per totum.*

II In eundem scopum literalem adipiscendi sensum in Sacris Scripturis, ab Apostolicis, & Patrum traditionibus nunquam recedere licet, ut edocemur in *cap. Relatum, dist. 37.* ubi Clemens I. Pont. Maxim. ad discip. Hierosol. ita rescripsit: *Relatum est nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes adversantur Sacris Doctrinis: & prout eis videtur, non secundum traditionem Patris, sed iuxta sensum suum docere videntur :: sunt enim multa verba in Scripturis Divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi quisque sponte præsumpsit. Sed fieri non oportet :: & idcò oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus, secundum veritatem sibi traditam servavit, ut ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competentè asserere.* Idem probatur ex *cap. transfe-*

Sensus literal. ulter. declar. Antel. 10. 23
runt. 33. *causa 24. quæst. 3.* plura de traditionum observantia fusè, & doctè edocet Cardin. Bellarm. *tom. 1. Controvers. lib. 4. de Verbo Dei non scripto, per totum.*

12 Consensus quoque Patrum, immò, & omnium Scholasticorum Doctorum circa sensum Scripturæ rem facit de Fide, vt cum Magistro Cano, P. Saliano, & Lincæo prælibavi *volum. 1. dissert. 4. sec. 4. num 13.* Et vt paucis multa complectar huic Anteloquio finem imponam verbis Sacro-Sanctæ Tridentinæ Synodi *sess. 4. in decreto de Editione, & usu Sacror. Libror.* ubi ait: *Praterè ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo sue prudentia innixus in rebus Fidei, & Morum ad edificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edenda forent. Qui contraveniant per ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* Hæc ibi: & in eodem *cap. ad finem*, consimilia decernit adversus eos, qui temerè ad profana quæque Scri-

tura verba convertunt, & torquent, de quo plura dum de sensu accomodatitio.

ANTELOQUIUM XI.

*EIDEM SCRIPTURÆ LOCO PLURES
sensus inesse literales, probabilissima
fert sententia.*

I HANC sententiam tenent, & illust-
trant D. Augustinus pluribus in
locis, sed præcipuè *lib. 12. Con-
fess. capit. 31.* ubi circa intelligentiam *capit. 1.
Genes. vers. 1.* scilicet: *In principio creavit
Deus Cælum, & Terram.* varijs relatis inter-
pretationibus, hæc habet: *Et cum alius dixe-
rit, hoc sensit, quòd ego: & alius, imò illud,
quòd ego: religiosus me arbitror dicere, cur non
utrumque potius, si utrumque verum est? Et si
quid tertium, & si quid quartum, & si quid
omnino aliud verum quispiam in his verbis videt,
cur non illa omnia vidisse credatur, per quem
vnus Deus Sacras Literas vera, & diversa visu-
ris multorum sensibus temperavit? Ego certè, quòd
intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen
autoritatis aliquid scriberem, sic mallet scribere,
ut quòd veri quisque de his rebus capere pos-
set, mea verba resonarent, quàm ut vnam veram*
sen-

Eid. Scrip. Loco plur. sen. &c. Ant. II. 25
*sententiam ad hoc apertius ponerem, ut exclude-
rem cæteras, quarum falsitas me non posset offen-
dere. Nolo itaque Deus meus tam præceptum esse, ut
hoc illum virum de te meruisse, non credam:
sensit ille omnino in his verbis, atque cogita-
vit, cum ea scriberet, quicquid hic veri po-
tuimus invenire, & quicquid nos non potui-
mus, aut non dum possumus, & tamen in eis
inveniri potest. Hactenus Augustinus, cuius
perspicua Autoritas, & sententiam præclare
stabilit, & ipsius fundamentum exhibet: idem-
que confirmat *lib. de Doctrin. Christ. capit. 27.
& lib. 1. de Trinit. cap. ult. ac lib. 11. de Civit.
Dei cap. 19. lib. 1. de Genes. ad literam capit. 1.
lib. de Utilit. tred. capit. 3.* favet D. Hieronym.
Epist. 150. quest. 12. Concinit apertè Ange-
lic. Doct. D. Thom. 1. part. quest. 1. art. 10.
corp. quibus adhærent Exim. Doct. P. Suarez
de Fide, disput. 5. sec. 3. num. 12. P. Valentia
*in 1. part. disp. 1. quest. 1. disput. 1. punct. 5.
§. 3. & in Controv. lib. 2. contra Ubiquet. cap. 5.
Molina 1. part. quest. 1. art. 10. disput. 3. Ca-
ietan. eod. art. 10. conclus. 2.* Magist. Bañez *ibi-
dem, dub. 7.* Magist. Can. *de Locis, lib. 2. ca-
pit. 11. §. Ad tertiam rationem.* Et quàm plu-
res alij Scholastici. Ex interpretibus Sacræ
Scripturæ Illustrissim. Dominus Abulens. *su-
per illud D. Matth. cap. 2. Ex Agypto vocavi*
fi-*

filium meum. Et sup. cap. 13. Matth. quest. 28. Lira cap. 8. Danielis. P. Cornelius in Isai. can. 5. & alij per multi.

2 Probatur primò quoniam per verba illa *Ioan. cap. 11. vers. 50. Expedi vobis, ut vnus moriatur homo pro Populo, & non tota gens pereat.* Caiphas intendit profuturam Iudæis mortem Christi, ad evadendum periculum temporale impendens à Romanis, prout constat ex eod. cap. vers. 48. ibi: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* At verò Spiritus Sanctus per os Caiphæ significare voluit, Universo Generi Humano vtilem, & necessariam futuram Christi mortem ad evadendam mortem, damnationemque æternam, vt ex eod. capit. 11. vers. 51. constat, ibi: *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnam: cum igitur, & eadem verba plura significare possint, ac Deus omnia significata cognoscat; possumus sub eisdem Sacræ Scripturæ verbis intelligere, mentis Spiritus Sancti fuisse, plura congrua significata nobis manifestare.*

3 Secundò probatur; quia verba illa *Psal-*
mi

mi 8. Quid est homo, quòd memor es eius, &c. tam manifestè sunt ad literam de Natura humana à Davide dicta, vt ipse sui interpres esse videatur, & tamen D. Paulus *ad Hebr. capit. 2. à vers. 5.* ea exponit de Christo Domino, vt hæc illius verba testantur, ibi: *Non enim Angelis subiecit Deus Orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens. Quid est homo, quòd memor es eius; aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius... Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum, &c.* Et fanè quòd verba illa *Psal. 8.* haud possint esse mysticè de Christo, & literalitèr de Natura humana, aut de hac mysticè, & de illo literalitèr, sed potiùs de vtroque ad literam, exinde probat Mag. Lorca *de Fide, tract. append. de Locis, disput. 17. prop. 5. num. 11. Quia nec humana natura fuit figura Christi, neque Christus humana natura.*

4 Tertiò; quia verba illa *lib. 2. Reg. cap. 7. vers. 14. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium,* explicantur literalitèr *lib. 1. Paralipom. cap. 28. vers. 5. 6. & 7. de Salomone.*

Et tamen ea ibidem in sensu literali explicantur literalitèr à D. Paulo ad *Hebræa. capit. 1. vers. 5.* de Christo Domino, ibi: *Cui enim Angelorum dixit Deus :: & rursum: Ego ero illi in Patrem: & ipse erit mihi in Filium.*

5 Quarto, illud *Osee cap. 11. vers. 1. Ex Egypto vocavi Filium meum*, in sensu literali omnes Catholicos, imò, & Hæreticos, vno excepto Osiandro *lib. 1. Harmonie, cap. 11.* explicant de Populi Israelitici exitu: & tamen D. Matth. *cap. 2. vers. 14. & 15.* id ipsum de Christo explicat, ibi: *Acceptit Puerum, & Matrem eius nocte, & secessit in Egyptum, & erat ibi usque in obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum à Domino per Prophetam dicentem, ex Egypto vocavi Filium meum: Et sic in literali sensu accipienda esse hæc verba, docent signanter Illustrissim. Dominus Abulensis *quæst. 57. sup. cap. 2. D. Matth.* cui adfentiuntur alij, & exinde probatur; quia eam vim, & energiam habere videntur eæ voces, *ut adimpleretur, &c.* & quoniam ad confirmandam veritatem Evangelij allegantur verba *Osee* ab Evangelista.*

6 Consimilitèr *Ierem. capit. 31. vers. 15. Isaiæ cap. 21. vers. 13. Isai. cap. 6. vers. 9. Isai. cap. 40. vers. 3. Et Psalm. 77.* dicuntur quædam in vno sensu literali; & tamen in alio etiam

etiam literali explicantur à D. Matth. *cap. 15. vers. 7. Et cap. 13. vers. 13. & 35. Et capit. 3. vers. 3.* nempe his locis dicente: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam: Benè prophetavit de vobis Isaias: Hic est, qui dictus est per Isaiam.* Ad hæc illud *Exodi capit. 12. vers. 46. Nec os illius confringetis*, quòd repetitur *Numer. cap. 9. vers. 12. Et os eius non confringent*, manifestè dicitur à Moyse de Agno Paschali; & tamen D. Ioan. *cap. 19. vers. 39.* illud explicat de Christo Domino, ibi: *Facta sunt hæc, ut Scriptura adimpleretur, os non comminuetis ex eo.*

7 Quintò, *Psal. 2.* illa verba: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genuite*, adducuntur à D. Paulo ad *Hebræos. cap. 1. v. 5.* ad probandam Christi Domini æternam generationem, & Divinitatem, in hunc modum: *Cui enim Angelorum dixit Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te: sic que Apostolum interpretantur Rufinus, & D. Augustinus in eum, Psalm. Idem Augustin. in Enchir. capit. 49. Et in lib. aut Oratione de quinque hæres. cap. 4. post medium. Chrysost. Theophilac. & OEcumen. in cap. 1. Epist. ad Hebræa. Tertullian. adversus Praxeam. cap. 7. & 11. in eundem modum intellexisse videtur D. Athanas. in Oratione contra Arian. quæ est in Epistol. decretali contra Arianum*

Arium in Synodo Nicena. Præterea eodem loco significari videtur generatio Christi secundum carnem, quam indicat particula *hodie*. Ita intelligunt Gregorius Nyssenus *homil. 2. in Ecclesiastem.* OEcumen. & Theododoretus *in cap. 1. ad Hebræos.* Cyprian. *lib. 2. adversus Iudæ. testim. 8.* Augustin. *in lib. qq. Novi, & veter. Testam. quæst. 54.* nisi quod Augustinus refert hæc verba ad Generationem temporalem, quam explicat, quando audita est vox illa: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Tandem eodem testimonio significatur Christi Resurrectio; nam D. Paulus *Actor. capit. 13. vers. 32.* ita inquit: *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hæc Deus adimplevit Filijs vestris, resuscitans Iesum, sicut in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te; & ita interpretantur Hilarius, & Chrysost. in illum Psalm. 2.* D. Ambrosius *lib. 2. de Sacram. capit. 1.* unde non solum ex Patribus, sed etiam ex Apostolo, idem ille locus duplicem habet sensum literalem.

8 Sextò, ratione etiam firmari solet hæc sententia; quoniam id multiplicis literalis significantiæ ad Sacræ Scripturæ maiorem dignitatem attinet; cuius authori etiam secundario, & humano denegandum haud est, quod con-

Obiect. fit satis, Auth. oppos. &c. Antel. 12. 31
 similiter alijs præclaræ sanctitudinis viris reperitur concessum, nempe D. Francisco Xaverio, qui ut inquit P. Cornelius à Lapide *in capit. 2. Actor; pag. mihi 71. unica responsione duodecim diversa querentibus satisfaciebat: ut que refert P. Turcellin. in eius vita, lib. 4. cap. 5. uno sæpe responso satisfaciebat universis, perinde ac si separatim singulis respondisset: eam que dicendi perfectionem Moyse fuisse indultam, existimat D. Augustinus lib. 12. Confessi. capit. 26. 27. & 31. cuius verba dedimus initio huius Anteloq. Mitto alias probationes, haud ita efficaces.*

ANTELOQUIUM XII.

OBIECTIONIBUS FIT SATIS, RELATIS
Authoribus oppositæ sententiæ.

I UNICUM igitur literalem sensum verbis Sacræ Scripturæ esse concedendum, edocent Alensis *1. p. r. quæst. 1. mem. 4. art. 2. Et 4. part. quæst. 15. mem. 4. art. 1.* Mag. Albert. *in Sum. tract. 1. quæst. 5.* Henric. de Gandavo *in Sum. art. 16. quæst. 2. & 3.* P. Franciscus de Ribera, Maioris quondam Archiepiscopalis Salmantini Collegij immortale decus, *in Osee cap. 11. num. 3.*

¶ *seqq. usque ad 13.* Michael de Medina *lib. 6. de Reſta in Deum Fide. capit. 25.* ex quibus oppones primò : ideò maximè plures sensus literales eiusdem loci admittendi forent, quia in Novo Testamento, locis indicatis *Anteloq. II. num. 6.* dicitur, in Christo Domino impleta esse, quæ in veteri dicta sunt literalitèr de alijs à Christo; at hæc ratio inefficax est; cum Prophetiæ veteris Testamenti, quæ de alijs à Christo dictæ sunt, possint tamen, & de Christo esse mysticè; igitur, non satis firma est nostra, & communis sententia. Respondetur; quòd etsi possint ea loca de Christo mysticè intelligi; at id interpretationis non ita propriè congruit verbis Novi Testamenti: Tum quia cum etiam literalitèr impleta, & significata esse possint, nulla est sufficiens ratio id inficiandi.

2 Oppones secundò; si verba Scripturæ plures literales sensus habere possent, non duos tantum non tres, non quatuor, sed infinitos penè admitterent, quòd videtur absurdum. Respondetur, quòd etiam si plures, ac plures sensus habere possent verba Sacræ Paginæ; tamen non rectè colligitur, tot sensus, ac penè infinitos in ea quadrare; patet, quippè de potentia ad actum haud benè argui: unde solum eos habere sensus dicendum, quos iuxta regulas interpretandi Sacram Scripturam erit

Obiect. fit satis, Auth. oppos. &c. Antel. 12. 33
reperirè: id que tantum fuisse mentis D. Augustini *lib. 12. Confes. cap. 3* i. exaratis in verbis *Antel. II. num. 1.* Et D. Gregorij *lib. 2. Epistol. 101. ad Domitianum Metropol. ibi: In intellectu Sacra Scriptura respui non debet quicquid sane Fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alij murenulas, alij annulos, alij dextralia ad ornamentum faciunt, ita ex una Scriptura scientia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, que tamen omnia ad decorem celestis sponsæ proficiunt.* Deinde obiectio instatur in sensu mystico, quem multiplicem esse posse, adversa non diffitetur sententia. Similitèr in Angelorum speciebus, quæ pro maiori Angelorum perfectione sunt univ ersaliores: vt docet D. Thomas *1. part. quest. 55. art. 3. corp.* nec tamen actu infinita obiecta representare possunt. Quaproptèr dicendum, eos solum sensus literales in Scriptura Sacra excipiendos esse, qui ex præadductis regulis deduci queunt.

3 Sed replicabis: si plures sensus literales in Sacra Scripturæ verba quadrare possunt, etsi non infiniti, utique plures ac plures, & ferè innumeri reperiri in ipsis poterunt; sed id impossibile apparet; ergo nec plures, nec duo huius rationis sensus in ijs verbis sunt concedendi. Prima assumptio est perspicua:

secunda autem inde evincitur, quòd Scrip-
tor Hagiographus, seu facer omnem sensum
literalem sui, aut cæiici potius eloquij agnos-
cere debet, vt edocent Pat. Salmeron, *Prole-
gom.* 8. & alij plures; at humanus intellectus
licet aliqua simul, haud tamen perplura, &
ferè innumerabilia percipere queit: id ergo
multiplicis literalis significantiæ contradic-
tionem implicat.

4 Respondetur, necessarium non esse,
quòd omnis literalis sensus Hagiographo Au-
thori innotuerit, sufficit quippè quòd vel
vnus ab illo percipiatur; sic enim docuit Div.
Augustinus *lib. 12. Confes. cap. 33.* cui adten-
tiuntur P. Serarius in *Prolegom. cap. 19. quest. 8.*
& alij, de quo in sequenti *tertio volum.* redi-
bit sermo. Præterea estò plures, aut etiam in-
numeros eiusdem Sacræ Scripturæ sensus lite-
rales Scriptoribus Sacris, vbi dentur, inno-
tescere debere, permittamus, id certè esset
supra eorum captum naturalem, soli sibi relic-
tum, non verò supra eum, vt insuper Dei
gratia adiutum.

5 Oppones tertio: Scripturæ sensus lite-
rtlis est, non qui cadit in eius verba, prout
avulsa ab antecedentibus, & consequentibus,
sed qui quadrat, prout cohærent cum toto
contextu, hisque omnibus, quæ antecedunt,

Obiect. fit satis, Auth. oppos. &c. Antel. 12. 35
& sequuntur, vt ad notatum est *Anteloq. 10.*
num. 1. sic autem sumpta Sacræ Scripturæ ver-
ba nunquam habent duplicem sensum litera-
lem; alioqui multos sensus historicos fateri
cogemur, qui sint alienissimi. Sic P. Ribera
in præcitato *Commentario Osee capit. 11. nu-
mer. 5.*

6 Qua etiam nixus ratione P. Vazquez in
1. part. disp. 17. capit. 3. num. 10. & 12. fine
tum disp. 18. cap. 6. num. 16. mediam quam-
dam aggreditur viam, & ait, plures equidem
sensus literales tunc solum admittere verba
Sacræ Scripturæ, quando scilicet res signifi-
cata ita inter se conveniunt, vt quasi vnã
videantur subire rationem, atque adeò vnã,
& aliam rem significare, eidem literæ, & contex-
tui dissonum non sit: & iuxta hunc sentiendi
modum, duplicem concedit literalem sensum
illis Isaïæ verbis *cap. 53. vers. 8. Generationem*
eius quis enarrabit? Nimirum locutum fuisse
Prophetam de Generatione Christi æterna, si-
mul & temporalis; cum enim in præcedentibus
verbis probrosam Christi mortem prædiceret,
ibi: *De angustia, & de iudicio sublatu est,* in
admirationem raptus ad eam magis exagge-
randam, subiungit: *Generationem eius quis*
enarrabit? Utraque autem Christi generatio,
vt pote admiranda, & ineffabilis, eadem ra-
tio-

tione ad mortem Christi extollendam plurimum confert : vtraque ergo merito significatur à Propheta ; sine hac verò, aut simili rerum significatarum coherentia, & inter se ipsas, & cum Scripturæ Sacræ contextu, duplicem literalem sensum eiusdem loci admittendum non esse, edocet Sapientissimus hic Doctor.

7 Nihilominus pro communiori sententia responderi potest primò, coherentiam rei significatæ cum antecedentibus, & consequentibus non esse de sensu literalis essentia; quia vt prælibavimus *Anteloq. 10. num. 2.* haud infrequentes inveniuntur in Scriptura digressiones ad aliqua non habentia coherentiam cum antecedentibus, & consequentibus ; eæ tamen sensum habent literalem. Secundò responderi possit, quòd sicut supra dicebamus, non omnem sensum literalem cognosci debere ab Authore Hagiographo, sufficereque, vt aliquis literalis sensus ab eodem percipiatur; in præsentiarum quoque asserere valebimus, non omnem sensum literalem connexionem omnimodam opus esse habere cum contextu. Id quod ex sententia ipsius P. Vazquez deditur; ille siquidem sub illis Isaïæ verbis *capit. 53. Generationem eius quis enarrabit?* fateatur literalitèr intelligendam temporalem, ac æternam Christi generationem ; cum tamen

Isaïas in præcedentibus eiusdem loci verbis, solùm de Passione Domini sermonem habeat, vt videre est ab initio *capitis vers. 2.* Ibi : *Non est ei species neque decor*, progreditur que Christi dolores, iniurias, ac mortem prædicens : sicut & in verbis subsequētib; videlicet, *Quia absisus est de terra viventium : propter scelus Populi mei percussus cum* : si igitur ineffabilitas generationis Christi æternæ, & temporalis sufficit, vt vtraque literalitèr intelligatur significata ; consimilitèr similitudo Salomonis cum Christo Domino sufficet, vt vterque literalitèr significetur sub illis verbis *2. Reg. cap. 7. vers. 14. Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.* Ut expendi *Anteloq. 11. num. 4.* eademque, seu non absimili congruentia poterunt alij literales sensus explicari.

8 Respondetur tertio, verba Scripturæ in nostræ, ac verioris sententiæ probatione allegata, nec non alia multa ijs similia, etiam vt coherentia cum antecedentibus, & consequentibus admittere plures sensus literales, vt ex ipsis, si expendantur, innotescet.

9 Oppones quartò : Deus locutus est per homines ad id electos ; more igitur humanæ locutionis accipienda sunt Prophetarum verba ; at homines non ita frequentèr loquun-

vt, vt plura immediate, & literaliter significant: verba ergo Sacrae Scripturae non sunt ita accipienda, vt plura habeant literalia significata. Respondetur nec moris esse apud homines, vt eisdem verbis vnā rem literaliter explicent, aliam verò mystice: & tamen id duplicis significantiae in sacro eloquio frequens valde est, propter supernaturale lumen, quo Prophetæ perfundebantur; ob præstantiam igitur huiusce superni luminis, ad dignitatem, & vbertatem diuinæ locutionis congruum est, fieri que potuit, vt eadem sacra verba plura literaliter explicent.

10 Oppones quinto: concessio semel multiplici sensu literali eisdem Scripturae verbis, non nisi sophisticè ex ijs argui posset; non enim nisi sophistica instituitur argumentatio ex termino æquivoco, qualis esset locus multiplicem literalem sensum recipiens: æquivocationis quippè sophisma inter omnia primas habet: id autem ingens esset absurdum: vnicus ergo tantum literalis sensus est statuendus in vno Scripturae loco.

11 Respondetur, negando assumptum, argumentationi enim ratæ, ac firmissimæ non obstat, verba significare plura, sed ea æquiuocè sumi, hoc est, vno sensu in præmissis, alio autem in conclusione; ideoque Philosophus

Obiect. fit satis, Auth. oppos. &c. Antel. 12. 39
 plus lib. 14. *Metaph. tex. 10.* dixit: *Nihil interest, si plura quis significare dicat, solum autem sint determinata.* Non ergo pluralitas sensuum in eisdem Scripturae verbis, sed eius pluralitatis abusus est captio, quam notant Dialectici, & æquivocatio inepta ad arguendum. Sic animadvertunt Theologi præcipue P. Valentia, *disp. 1. in 1. part. quest. 1. punct. 5.* Becanus *in Summa Lucpletiori, quest. 7. proemiali. artic. 6. sine.* Lincaus lib. 1. *de Theol. tract. 10. cap. 4.* Deinde id sensuum pluralitatis firmæ argumentationi officeret, quando inter arguendum, aut respondendum pro veritatibus Fidei nesciretur, quo Deus sensu locutus sit, & eius verba ordinata essent ad decipiendum, sicut oracula Dæmonis,

Aio, te Aacida Romanos vincere posse.

12 At nihil tale de Deo summè veraci dici potest; quin potius verborum suorum plures sensus simul intendit; vtque Sacra Scriptura certam Fidem facere possit, non est proprio spiritu interpretanda, sed eodem spiritu, quo facta est: & sic est regula Fidei; id quod assequimur duabus regulis, quas tradit Concilium Tridentinum: prima est iudicium Ecclesiae, quod si sit definitivum, facit Fidem in-

fallibilem : alia est vnanimis consensus Patrum , quod etiam tradit Concilium Lateran. sub Leone X. *actione* 10. & habetur in 6. Synodo , *Canone* 19. *Trullano* , fumiturque ex D. August. *lib.* 18. *de Civit. Dei* , *cap.* 41. Conferunt prælibata *Anteloq.* 10. præsertim à *num.* 9. vnde conficitur ex tali sensuum literalium pluralitate nihil incommodi ad arguendum ex Sacra Pagina posse subduci. Hic verò animadvertendum venit , quod docuit Div. Augustinus *lib.* 2. *de Doctr. Christiana* , *capit.* 27. hisce verbis : *Quando ex eisdem Scripturæ verbis non unum aliquid , sed duo , vel plura sentiuntur , etiam si lateat , quid senserit ille qui scripserit , nihil periculi est , si quodlibet eorum congruere veritati , ex alijs locis Sanctarum Scripturarum daceri potest* , consimiliter Div. Hieronymus *Epist.* 103. *ad Paulin.* inquit : ideò locos difficiliore in Scriptura relictos , vt propter obscuritatis magnitudinem studiosi diuersa opinarentur : & coherentè Angelicus Doctor D. Thom. *Quodlib.* 3. *quest.* 4. *artic.* 10. *Respondeo* (ait) *dicendum quòd diuersæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ , si quidem non pertinent ad Fidem , & bonos mores , absque periculo Auditores vtranque opinionem sequi possunt : tunc enim habet locum , quod Apostolus dicit ad Roman.* 4. *vnusquisque suo*

sen-

Obiect. fit satis, Auth. oppos. &c. Antel. 12. 41
sensu abundet. Qui autem assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium , siuè contra id , quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem , non potest ab erroris vitio excusari. Hæc D. Thomas , cuius doctrinæ consona est tradita à P. Pererio *tom.* 1. *in Genesim* , *lib.* 3. *quest.* 5. *de Paradiso* ; per hæc verba : *Licet plurimi Doctores in vnâ aliquam conueniant sententiam , si ea non pertineat ad Fidem Catholicam , sed versetur in eo genere rerum , quæ salva Fide Catholica in vtranque partem tractari possunt : non ideò tamen eam opinionem , argumentum facere in Theologia firmum , certum quæ : nec vnus , aut paucorum contrariam sententiam , hoc ipso , quòd multitudinè Scriptorum aduersetur abiudicandam , & damnandam esse.* Eadem fuit sententia Mag. Cano *lib.* 4. *de Locis* , *cap.* 4. Plura de sensibus Sacræ Scripturæ , præcipuè de Mystico , & Accomodatitio , *tom.* 3. elucidata reperies , si Deus nobis dexter adsit.



SACRA CHRONOLOGICA,
ET HISTORICA
DISSERTATIO QUINTA.

DE ANNIS REGNI SAUL.

Ad intelligentiam textus lib. 1. Reg. cap. 13. v. 1.

SECTIO PRIMA.
IN SACRA SCRIPTURA NIHIL EXIGUI
*momenti censendum, præmittit, & Textus
difficultatem delibat.*

I **V** T intensiori studio in excipienda dissertatione ista Chronologica, & Historica, operosa equidem, laboris agat Lector impensam, operæ pretium duxi præmittere, quòd in Sacra Pagina nihil exigui momenti censendum est; nam licet aliqua secundum se sumpta parvi momenti alias existimari possent, non semel, sed in Scriptura Sacra, hoc ipso valde momentosa fiunt, pertinentque ad fidem, & talia esse, existimandum in quibus Sacer Scriptor nullum pati potuerit errorem: etsi contra censeant Erasmus annotatione 2. in cap. 2. Matt. & in 27. in ca-



44 *Sacra Chron. & Histor. dissert. quinta.*
p. 1. *Marci. Et in Epistolam 9. D. Hieronymi,*
& olim Anomæi apud Epiphanium, *heresi 76.*
quibus favere videntur Teophilactus in *Pro-*
logo Matt. & Euthymius ibi, ad finem, &
Matt. cap. 20.

2 Cæterum quàm enormitèr errent pro-
batur ex Sacra Pagina *Matt. cap. 5. v. 18.* vbi
Christus Dominus inquit: *donec transeat Cæ-*
lum, & terra, Iota unum aut unus apex non
præteribit à lege, donec omnia fiant, Et D. Paul.
Epist. 2. ad Thimot. capit. 3. numer. 16. omnis
Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docen-
dum, ad arguendum. Consimilitèr fulcitur ex
Epist. 2. D. Petri, cap. 1. Tum ex Concilio Tri-
dentino *sess. 4. ibi: Si quis ipsos libros inte-*
gros (utique Sacræ Scripturæ) cum omnibus
suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi con-
sueverunt pro Sacris, & Canonicis non susce-
perit, anathema sit. Ubi perpendo illa verba,
libros integros cum omnibus suis partibus, quæ
nihil exceptionis assignant. Unde D. August.
Epist. 8. cap. 3. inquit: Mibi enim videtur, exi-
tiosissimè credi, aliquid in libris Sanctis esse
mendacium; admissio enim in tantum authorita-
tis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illo-
rum librorum particula remanebit, quæ non ut
cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad
fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula
ad

In Sacr. Scrip. nihil exig. Sec. 1. 45
ad mentientis Authoris consilium, officium que
referatur. Consimilia verba ex eodem Div. Au-
gustino relata sunt in Jus Canonicum, *canone.*
Si ad Scripturas. dist. 19.

3 D. Hieronym. in *cap. 5. Matt. ex figura*
literæ (ait) ostenditur quod etiam, quæ minima
putantur in lege, Sacramentis spiritualibus
plena sunt, & omnia recapitulantur in Evange-
lio. Idem comment. ad *Ephes. 3. singuli sermo-*
nes, syllabæ, apices, puncta in Divinis Scrip-
tis plena esse sensibus. D. Basilius *examer. hom. 10.*
Beda in *cap. 2. Genes. Chrysostomus hom. 2. de*
verbis Isaiæ, vidi Dominum, & hom. 15. in Ge-
nesim ad illud cap. 1. v. 20. Adæ verò.

4 Consignant Scholastici DD. præcipuè
Angel. 2. 2. *quest. 110. art. 3. ad 1. P. Valentia*
in Analys. lib. 8. cap. 5. punct. 4. ad 3. Eximius
Doct. de Fide, dist. 5. sec. 3. numer. 8. Basilius
Legion. 1. part. Variarum; quest. 4. expositiva,
cap. 1. §. Quare certum. Cantepetrensis lib. 8.
Hypothiposeon, cap. 1. §. In viris. Thomàs Del-
bene in Summa, tom. 1. dist. 1. quest. 49. ad fi-
nem. P. Azor tom. 2. lib. 8. capit. 1. quest. 12.
Payva in Doctrinali Scripturæ lib. 2. capit. 4.
P. Serarius in Prolegomenis biblicis, capit. 5.
quest. 20. Lyncæus tract. 5. de Locis, cap. 5.

5 Et optima fulcitur ratione, qua vtun-
tur PP. & AA. allegati; si enim in rebus etiam mi-

minis potuit Scriptura esse falsa, Sacer que Scriptor errare, profecto in nulla re auctoritatem habebunt infallibilem. Tum quia Deus ipse est, qui per Scriptorem Sacrum loquitur omnia, quæ sunt in Sacra Pagina. Quibus adde ex citato Legionensi, nam quod vni grave est, id alteri leve, & minutum, & contemnendum videbitur: & ita nulla de re nos magis certos reddet ea Scriptura, quam illa redderet, quæ ab vno quopiam esset edita homine, omnisque proinde huius sacrae appellationis impediretur auctoritas. Si autem minima quæque in Sacra Pagina, vt Dei verba sunt adoranda, cum frequens Chronologiae ratio in Scriptura contineatur, vt cernere est in libris Geneleos, Exodi, Deuteronomij, Josue, Iudicum, Regumque quatuor, duobus Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae, & in alijs pluribus, maximè consentaneum erit, quemcumque hoc in studio laborem conferre.

6 Igitur Sacer textus initio Dissertationis propositus sic habet: *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cepisset: duobus autem annis regnavit: vbi ingens statim emergit difficultas; qui enim fieri potuit, vt infans vnius anni fuerit Rex, non quidem iure hæreditario, sed per electionem; Saul quippè fuit primus Rex Hæbraici Populi, qui ab ingressu in ter-*
ram

ram promissam, sive à Josue, vsque ad Samuelem regebatur Iudicibus: vnde quod in prælibato nostro textu dicitur, nec cohærere videtur cum ipsa Scriptura 1. *Regum capit. 9. v. 2.* vbi de Saule, cum adhuc quæreretur ad Regnum, dicitur *quod ab humero, & fursum eminebat supr omnem Populum.*

7 De eodem etiam Saule citato capit. 9. asseritur, quod erat electus, & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo, quæ, & alia plura, quæ de Saule in eodem Sacro Textu, ante quam ad Regnum assumeretur, & vngeretur à Samuele, asseruntur, apertè ostendunt, Saulem iam primam iuventam prætergressum fuisse, cum regnare cœpisset: ergo nec filius vnius anni esse potuit Saul, initio Regni sui.

SECTIO SECUNDA.

PROPONITUR, ET REFELLITUR PRIMA sententia circa hanc difficultatem.

I OCCURRUNT huic difficultati Eucherius, Beda, & Genebrardus dicendo, textum in citato cap. 13. lib. 1. *Regum*, significare literaliter, quod ex quo Rex creatus est Saul, per spatium duorum annorum vitam egerit privatam, abstinueritque ab habitu, & munere omni Regis.

Cæterum id expositionis non quadrare in verba Sacra, ex ipsis confici videtur. Primò, quia esse filium vnius anni, & esse hominem privatum sunt diversissima. Tum secundò, quia ex *cap. 12. eiusdem libri 1. Reg.* probatur, Saulem statim, postquam Rex agnitus fuit à Populo, bella gessisse adversus Naàs Regem Ammon; quoniam antequam Saul electus fuisset in Regem, bellum indixerat Naàs adversus Israelitas, & ipsi ob eam causam à Samuele petierunt, dari sibi Regem, qui ab hostibus eos deffenderet: *videntes autem (dixit Samuel dicto capit. 12. §. 12.) quod Naàs Rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi nequaquam, sed Rex imperabit nobis.* Et propterea electus fuit Saul Rex Israelitarum. Quamobrem fidem superat asserere, quòd Saul integro anno, quin, & biennio à Regis munere abstinuerit.

2 Tertiò, præcedensque ratio declaratur; nam cum Samuel Dei iussu primò Saulem invixisset Regem, sed secreto, vt probatur ex *1. Reg. cap. 10. §. 1.* postea, vt eundem à Deo electum toti Populo ostenderet, & solemniter consecraret, sortem immisit instinctu Dei, qui Samueli id sugessit, se ita fortes has directurum, vt non in alium, quam in Saulem caderet. Prudenti consilio, inquit P. Cornelius id fecit Deus, ne quis à Samuele,

non

non à Deo electum Saulem, ob privatam scilicet amicitiam, spem, & commoda, arbitretur; aut se, vel alios è Judà, vel alijs nobilioribus Tribubus, ait Liranus, Regno digniores esse, iudicaret.

3 Electo igitur Saule in Regem, cumque Populus clamaret, vivat Rex, factum est, quasi post mensem, vt dicitur *cap. 11. lib. 1. Reg. Et ascendit Naàs Ammonites, & pugnare cœpit adversum Jabès Galaad, & vt §. 12. eiusdem capit. asseritur, constituit Saul Populum in tres partes, & ingressus est in media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon, usque dum incalcesceret dies.* Eundem igitur Saulem optimi ducis, ac Regis munia obeantem hic cernere est, idque quasi post mensem postquam electus fuerat, & clamaverat Populus, vivat Rex, vt contigisse dignoscitur ex *cap. 9. §. 25. Et cap. 10. fine, tum cap. 11. §. 1. & 11. compositis invicem: igitur in Sacri Textus verba non quadrat, asserere, Saulem, biennio post electionem, à regio munere, & habitu abstinuisse.*

4 Quod si quis opponat, illa prima verba *cap. 11. Et factum est quasi post mensem,* repellenda esse, quasi adiecitia, eo quòd in textu Hebræo non reperiantur: imò Liranus, & Illms. Abulensis non ea agnoscunt, sed omitunt, sicut & Angelomus. Contra efficaciter;

D

quæ

quoniam eadem verba habentur apud 70. editionis emmedatissimæ Romanæ, Albina, ac Basileensis; etsi è Regijs Biblijs sublata sint, vt adnotat P. Saliar. *ad an. mun. 2963. nu. 26.* Præterea habentur apud Josephum, qui se Hebræos Codices sequi profiteretur, vt non mirum sit, à S. Hieronymo in Vulgata, S. Gregorio, Comestore, alijsque retentis; adeoque ex Hebræo Codice excidisse credendum est. Cumque tandem in latina Vulga, à Tridentino Concilio authentica, reperiantur, omnino ita legendum est.

5 Sed replicabis: quomodo post mensem ab electo Rege Saule, venit Naàs aduersus Israelem, cum eius adventus causa fuerit petendi Regem, vt Samuel ipse coram frequentissimo Populo dixit, *lib. 1. Reg. c. 12. v. 12.* respondet Illms. Abulens. *q. 13. in dictum cap. 12.* illis verbis significari, venisse contra Israelitas, non tamen exprimi, quid egerit, aliquo tamen modo vexasse Israelitas, adeo vt ad Regem petendum, qui pro ipsis bellum gereret, excitarentur. Alij verò existimant, quòd primò fecerit Naàs apparatus ad bellum, & præ se tulit hostilem animum in Hebræos, ex quo hi in timorem, & postulationem acti. Repressus tamen Naàs tantisper fuit, sparsis de Regis electione rumoribus, dum videret, quem res

exi-

exitum esse habitura. Cum autem habitis dudum commitijs, & creato Rege Saule, nihil præter solitum, aut animi, aut virium Israelitis accessisse animadverteret, neque Regem vsquam apparere cum copijs, sed ruri privatim agere, destinatam expeditionem suscepit aduersus oppidum Jabès, quod situm erat in vicina sibi Galaaditide. Sic docet Pat. Saliar. *an. Mund. 2963. num. 27.* Unde conficitur, Saulem ferè statim postquam electus fuit in Regem, munia Regis egisse.

6 Nihilominus post exactum bellum, partamque victoriam de Ammonitarum Rege, innovatum fuit Regnum Saulis, iudicio, & exhortatione Samuelis, qui occasionem bene animati in novum Regem Populi, passus non est, sine utilitate perire, sed Populum ad confirmandum communi omnium consensu Sauli Regnum, factamque dudum electionem eius, excitavit; & dixit: *venite, & esumus in Galgala, & innovemus ibi Regnum.* Perrexit itaque omnis Populus in destinatum locum, transmissis Jordane, vt illic innovaret Regnum, & Saulem de novo constituerunt Regem; quoniam priori inaugurationi, quæ publicè facta fuerat, à nonnullis appertè reclamatum fuerat, qui in Sacro Textu nuncupantur filij Belial, vt cernere est in fine *cap. 10. lib. 1.*

Regum; adeoque, & sortitio instarauta est, & inunctio, & acclamationes, festa cantica, & sacrificia: omnia denique, inquit Illms. Abulensis, *quest. 13. in cap. 11. lib. 1. Regum*, verisimile est, facta fuisse in Galgalis, quæ facta fuerant in Masphath, & rursum ait, in hac Regis innovatione repetita fuisse omnia, quæ requirebantur ad constituendum aliquem in Regem, perinde ac si nihil hactenus factum esset: de inunctione autem, quæ præcipua habetur in hac tota celebritate, adhibitam fuisse id perspicuè tradunt 70. Interpretes; nam ubi nostra vulgata ex Hebræo legit: *Et fecerunt ibi Regem Saul*: ipsi habent: *Et unxit Samuel ibi Saul in Regem*. Itaque triplex fuit Saulis inunctio, sicut & Davidis, vna privata, publicæ duæ.

7 Sed hinc replicabis secundò: cum Naàs venit oppugnaturus Hebræos, adhuc Saul Rex constitutus non fuerat: ruunt ergò à nobis dicta. Antecedens deducitur ex eo, quòd agnito ab Hebræis Ammonitarum adventu, & apparatu, Saulem adierunt, qui ruri non Regalem, sed privatam agebat vitam: vt ex Sacro Textu colligi potest; dicto enim *cap. 11. v. 5.* dicitur, quòd cum propter Ammonitarum adventum, fletet Populus: *Ecce Saul veniebat sequens boves de agro*, & ait: *quid ha-*
bet

bet Populus quod plorat. Igitur tunc temporis Saul adhuc non fuerat Rex constitutus.

8 Respondet Lyra, Saulem, iam publicè electum in Regem, non egisse officium bubulci, aitque, illum venisse de agro, ubi deambulationis causa fuerat, vel militaris cuiuspiam exercitationis; inde autem domum revertisse sub id tempus, quo solent boves domum reduci. Josephus quoque boum non meminit, imò neque 70. Interpretes, sed præcisè aiunt, *Saul veniebat post mane ex agro.* Concinunt Card. Hugo, & Dionysius, cui opinioni ratio ipsa videtur favere, cedit namque in dedecus regis dignitatis, ad quam publicè divina sortitione erat electus Saul, quòd agriculturam agerit.

9 Cæterum melius responderi potest ex communiore sententia, & Sacræ literæ magis consona, aienti, expressè, *Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro*, vel vt est in Hebræo, *veniens post boves*, quem textum sequuntur Caldæus Paraphrastes, & 70. Interpretes in editione Complut. & Regia. Nec propriè dicitur sequens boves, nisi qui eorum curam aliquam egerit. Fuit ergo Saul arator, inquit Illms. Abulensis, & licet iam foret Rex creatus, ad solitam tamen agriculturam, cum alia regni negotia non vrgerent, redit. Sic etiam

David, postquam à Samuele vnctus esset in Regem, redit ad pascendas suas oves: vnde *¶. 7. eiusdem cap. 11. lib. 1. Reg. de eodem Saule dicitur, vtrumque bovem, vtique suum, quibus nempè terram exercebat, concidisse in frustra. Erant igitur hi proprij eius boves. Ita præter Abulentem, Caietanum, PP. Sanchez, Serarius, Salius, Mendoza, Cornelius, & alij.*

10 Duplex verò huius exercitationis potest in Saule assignari causa, prima, quia illis seculis, sicut & superioribus, imò & posterioribus aliquot, non fuisse contemptui agriculturam, probant in Historia Romana Fabricij, Curij, Catones, Africani, Romulus, & Remus: in Persica Cyrus minor, in Numidica Malsinissa, Osyris Ægyptius, & apud alias gentes alij; nam Jacob cum filijs suis, & Moyse exercebant Pastoritiam; consulcit Plinius *lib. 18. naturalis hist. cap. 3. rationemque assignat D. Chrysost. hom. 15. in 2. ad Corinth. quòd Deus primis Parentibus agriculturam, vt necessariam, artemque innocentissimam, & præstantissimam indixerit, iuxta illud Genes. 2. ¶. 15. posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum, & mox à diluvio, coepit Noè vir agricola exercere terram, & plantavit vineam. Genes. cap. 9. ¶. 20. Comprobantque Philo *lib. de Abel, & Cam, & lib. de**

Prop. & refel. prim. sent. Sec. 2. 55
de Agricultura, Clemens Alexandrinus, Div. Ambrosius, & alij. Videtis prælibata Tom. 1. diff. 3. Sec. 9. num. 15. & 16.

11 Secunda causa assignatur à D. Gregor. *lib. 19. Moral. cap. 17.* dicente, Saulem ad solitam rediisse agriculturam, etiam postquam Rex creatus esset, *quia perit omne, quòd agitur, nisi solitè in humilitate custodiatur. Et hoc, addit Hugo Card. est contra Religiosos, qui quando fiunt Episcopi, dimittunt regulam suam. Nec minus erit contra eos Religiosos, qui cum Episcopi non sint, intra claustra humilitatis exercitia colere renuunt. Vide etiam, & mirare simplicitatem, ac modestiam primorum Regum.*

SECTIO TERTIA.

SECUNDA SENTENTIA REFELLITUR.

I SECUNDA sententia est eorum, qui docent verba illa, *filius vnus anni, &c.* literalitè sic esse intelligenda, vt Saul ita initio Regni fuerit innocens, ac si esset infans vnus anni: sic S. August. *lib. 7. locutionum in Iudices.* S. Petrus Damianus *lib. 2. Epist. 20.* D. Hier. *in quest. Hebraicis, cap. 5.* D. Gregor. *in hunc locum.* Rupertus *ibidem, & lib. 2. in Apocalypsim.*

76 *Sacra Chron. & Histor. dissert. quinta.*
Theodoretus *quest.* 28. Hugo, Procopius,
Lyra, Angelomus, Dionysius Cartuf. Illms.
Toftatus, Cayetanus, Cantapetrenf. *lib.* 8.
Hypotiposeon, cap. 8. P. Delrius *adagio* 179. &
in cap. 37. *Genes. num.* 2. V. P. Ribera *in cap.*
put 1. *Amòs, num.* 6. P. Salmeròn *Prolegom.* 14.
formula 27. Exim. Doct. P. Suarez *tom.* 1. *in* 3.
part. quest. 1. *art.* 6. *disp.* 6. *sec.* 1. §. *ad* 2. PP.
Salmeròn, Mendoza, & passim alij.

2 Probaturque huiusmodi expositio ex
Chaldaica Paraphrasi, quæ sic hec: *sicut filius*
vnus anni, in quo non sunt culpa, Saul erat
quando regnavit; quòd autem in textu Hebræo
non sit particula *sicut*, videtur non ob stare,
quoniam ea, & aliæ similes ab Hebræis omitti
solent, etiam cum necessario sunt subaudiendæ,
& sic in *Psal.* 10. *ψ.* 1. vbi nos legimus,
transmigra in montem sicut passer, legunt illi,
transmigra in montem passer, & *Psal.* 72. *ψ.* 23. vbi nos,
ut iumentum factus sum apud te, illi,
iumentum factus sum apud te.

3 Quin etiam, & eundem hebraïsmum, est
non semper, vt visum est, at sæpè sequitur
noster vulgatus, præsertim *Psal.* 11. *ψ.* 7.
eloquia Dñi, eloquia casta: arguentum igne exami-
natum, probatum terra, purgatum septu-
plum: id est, sicut argentum: igitur licet in præ-
libato textu libri 1. *Reg. cap.* 13. *ψ.* 1. dicatur:
filius

Secunda sententia refellit. Sec. 3. 57
filius vnus anni erat Saul, quàm optimè potest
intelligi, & subaudiri, *sicut filius vnus anni,*
in quo nempe non sunt culpa, Saul erat quan-
do regnare cœpit.

4 Nihilominus contra hanc sententiam
militat sequens ratio; quia iuxta eum sensum,
qui literalis dicitur, debent verba anteceden-
tia cohærere cum sequentibus, vt ostendi *Ante-*
loq. 10. seu potius est ille, qui verbis sic con-
gruit, quàm alius discissus; at iuxta senten-
tiam, quam oppugnamus, duo anni Regni
Saulis, de quibus immediatè post mentio fit,
sunt anni propriè dicti; talis ergo, si fieri po-
test, esse debet etiam annus ille vnus, cuius fi-
lius dicitur Saul, si factus tectus manet ibi sen-
sus literalis; sed talis nõ est eiusmodi annus iux-
ta expositionem prælibatam, vt patet, sed solùm
metaphoricus: sensus ergo, quem tradunt præ-
fati Doctores, non est literalis, quem venamur.

5 Opponat tamen quispiam: sunt in Scrip-
tura Sancta haud rarò digressiones ad aliqua
non habentia connexionem, aut cohærentiam
vllam cum antecedentibus, & consequentibus;
sed hæ sensum habent literalem, vt cer-
to certius est: falsum igitur erit, omnem sen-
sum literalem Scripturæ in eius quadrare ver-
ba prout cohærentia cum antecedentibus, &
consequentibus. Assumptum probant quæ *Ante-*

58 *Sacra Chron. & Histor. dissert. quinta.*
teiq. 10. num. 2. prælibavi, & docuit D. Gre-
gorius lib. 4. Moralium, cap. 28. ad illud cap. 4.
Job, sine: Qui autem reliqui fuerint auferentur
ex eis. Ubi inquit: Sed nimirum Sacre Scrip-
turæ consuetudo est, ut cum aliquid narrat, in-
terposita alterius causæ sententiâ, ad superiora
propotinus reddat.

6 Respondetur, prælibatæ nostræ sententiæ non esse, quòd omnis sensus literalis quadret in verba Scripturæ, ut connexa cum antecedentibus, & consequentibus, id enim falsum esse, ex prænotatis *dic. Antel. 10. num. 3.* colligitur. Quòd ergo dicimus longè diversum est, nempè, quòd quando contingit, quadrare sensum aliquem in verba Scripturæ prout connexa cum antecedentibus, & consequentibus, alium verò cadere in ea, non prout sic sumpta, sed prout avulsâ à reliquo contextu eorum, quæ antecedunt, & sequuntur, tunc non hunc posteriorem, sed illum priorem esse verum, ac legitimum sensum literalem Scripturæ; cum quo tamen rectè cohæret, quòd aliquando verba Scripturæ habeant sensum literalem, tamen in eo nullam sibi vendicet connexionem cum antecedentibus, & consequentibus: igitur cum sensus, quem prælibata sententiâ nostro textui tribuit, non habeat cohærentiam cum antecedentibus, & consequentibus, &
aliun-

Duplex alia desser. Sent. Sec. 4. 59
aliunde queat alius assignari sensus literalis, qui videlicet similem habeat connexionem, ut infra ostendemus, is potius præferendus erit.

SECTIO QUARTA.

DVPLEX ALIA DESSERTVR *sententiâ.*

I **A**LIIQUI ergo, inter quos Rabanus, putant, in his verbis, *filius vnius anni erat Saul, &c.* Saul esse in Dativo, & sensum esse, quòd ei, cum incœpisset regnare, natus esset filius, scilicet Isboset. Hanc expositionem non reiiciunt Angelomus, P. Serarius, & alij; sed duplici oppugnatur ratione, prima, quoniam cum statim eo in textu ponatur in Nominandi casu idem Saul, dum dicitur, *duobus autem annis regnavit*, sensus ille, iuxta quem dicitur positus ab initio in Dativo, non est talis, ut penes eum cohæreant inter se verba antecedentiâ, & consequentiâ; haud ergo est literalis, cum aliunde cohærenter omnia accipi valeant.

2 Secunda ratio est, quia fieri non potuit, ut Isboset vnum tantum annum ageret, cum pater eius Saul regnare incœpisset; ut enim liquet ex 2. *Reg. cap. 2. v. 10.* Isboset cum esset

40. annorum, successit patri suo Saul, sic enim ibi habetur: *Quadragesima annorum erat Isbofet filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel.* Porro Saul duobus annis tantum regnavit, ut aliqui edocent, vel decem octo, ut infra videre licebit; quandoquidem ergo demptio 18. à 40. remanent 22. sanè hos, & non pauciores censendus est Isbofet habuisse, cum Saul eius pater cœpit regnare; qui ergo fieri potuit, ut vnus præcisè anni esset Isbofet, cum Saul regnare cœpisset? Quòd si Saulis Regnum duorum solum fuit annorum, ut alij existimant, non vnus tantum anni, sed 38. erat Isbofet, quando Saul regnare cœpit.

3 Secundam, & respectu præcedentium quartam sententiam exhibet Mag. Melchior Canus *lib. II. de Locis, cap. 5. in solutione ad 12.* vbi licèt non absolute, verisimile tamen esse docet, locum in quo versamur esse vitiatum, & pro numero maiori, id est *filius 21. anni erat Saul, cum regnare cœpisset*, libratorum errore haberi numerum minorem, videlicèt *filius vnus anni, &c.* Facillimum autem fuisse id accidere, cum contingere potuerit absque vlla additione, & vnus dumtaxat nominis, & coniunctionis omissione.

4 Cœterum à Vulgata recedere lectione, seu erratum in ipsa agnoscece, nullatenus sic-

Duplex alia deffer. Sent. Sec. 4. 61
ri posse, dicendum, ex dictis *tom. I. diff. 1. sect. 5. Et dissert. 3. sec. 4. nu. 6. & sequentibus.* Id quòd magis stabilitur, quia non solum Vulgata editio, sed & Hebraica, Chaldaica, Septuaginta, Aquila, Simmacus, & Theodotia habent, *filius vnus anni, &c.* facilius ergo erit, Mag. Canum, etsi apimè sapientem, falli, quàm exemplaria omnia, & cum eis Doctores omnes errare.

5 Secundò: lectio, quæ Mag. Cano placuit, falsitatis convincitur; Isbofet quippè ex supra notatis habuit 22. annos, seu viginti tantum quando Saul eius pater primum Regni sui annum agebat: si ergo tunc ipse Saul habuit viginti annos, consequens ens est, ut æqualis ætatis fuerint filius, & pater, quòd absque ingenti absurdo dici non potest.

6 Consimilique argumento confutantur, qui ut refertur in Schol. Sixtianæ editionis *pro vnus anni*, transtulerunt hìc *triginta annorum.* Ita enim Saul, cum 8. aut 10. esset annorum, genuisset filium Isbofet; cum tamen hoc sit perquam inverisimile. Hìc tandem adnotandum venit, Sixtianæ editionis curatores in ea penitus omisisse illa verba, *puer vnus anni erat*, & reliqua eiusdem versus, sed enim contra eos faciunt, quæ aduximus supra contra Mag. Canum; non enim recedere licet ab editione Vulgatæ; nec

nec credibile fit, tot alias editiones omnes, Doctoresque Sapientissimos ferè omnes falli.

7 Non nulli ergo quos suppræsis nominibus referunt Cantapetrensis *lib. 8. Hypotiposeon. cap. 8.* Hugo, & Cartusianus ad *hunc textum*, respondent, legendum quidem esse, vt in Vulgata, sed tamen post voculam *filius*, & ante *vnus* sub audiendum esse *viginti*, nec mirum esse, id tantùm sub intelligi, non verò exprimi, quia supponitur ex *libro Numer. cap. 1. v. 3.* ad bellum, cuius gerendi gratia, electus fuit Saul, neminem eligi oportere, nisi à 20. anno, & sursum: sic enim ibi habetur: *à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium Israel, & numerabitis eos per turmas suas tu, & Aaron.*

8 Hæc tamen expositio quadantenus verisimilis, venit opugnanda; quia Isboset, iuxta dicta paulò ante, habebat 22. annos, quando Saul eius pater agebat primum Regni sui annum: si ergo tunc ipse Saul habuit viginti annos, consequens fit, vt duobus tantùm annis superaverit filium suum: id quod asserere nemo audebit. Assumptum inlarescit ex eo quod, quando Isboset parenti suo successit in Regno, erat annorum quadraginta: sic enim habetur *lib. 2. Reg. cap. 2. v. 10.* hisce verbis: *Quadraginta annorum erat Isboset filius Saul*

Saul, cum regnare cœpisset super Israel. Porrò autem Saul regnavit decem octo, aut viginti annos solum, vt infra ostendam: igitur dum Saul regnare cœpit, Isboset agebat iam viginti duos annos: si ergo tunc Saul esset annorum viginti, aut etiã triginta, patrem superasset filius penes duos annos, aut filius minor esset patret annis 8. aut 10. quod est impossibile.

9 Secundo; quoniam si Saul agebat vigesimum annum, aut 30. initio Regni sui, duobusque tantùm annis regnavit; Isboset filius eius, quando regnare cœpit, agere non posset annos 40. quot tamen egisse cum ipse regnare cœpit, supra vidimus ex *lib. 2. Regum, cap. 2. v. 10.*

SECTIO QUINTA.

SENTENTIA NOSTRA PROPONITUR,
& *fulcitur.*

I DICENDUM ergo, Vulgatæ lectionis textum, vt jacet, retinendum, sensumque illorum verborum: *filius vnus anni erat Saul, cum regnare cœpisset*, perinde accipiendum, ac si diceretur, iam regnabat Saul vnum annum, siuè iam agebat primum Regni sui annum: id quod probatur, quia id exigit hebraica phrasis, quæ ad verbum sic habet: *filius vnus anni Saul in regna-*

mare ipsum. Unde lectio nostra latina Vulgata secuta est hebraismum; Hebræi quippè temporibus, diebus, mensibus, & anno adiungunt vocem *filius*; sicque apud eos dicitur *filius huius anni, diei, vel temporis*, qui hoc anno, die, vel tempore natus est; tempus itaque, annus, & dies dicuntur quasi parentes generare eos, qui eo tempore, anno, & die nascuntur, quia videlicet annus, tempus, & dies adducit causas secundas, scilicet parentes, qui hunc filium generant.

2 Est etiam methonymia: sic *Fonæ cap. 4. v. 10.* hederæ in Hebræo vocatur filia noctis, quia illa nocte orta, vel nata erat: sic filius Auroræ est Lucifer, sive Stella veneris, quæ in Aurora nascitur, *Isaïæ cap. 14. v. 12.* Consimiliter filij Orientis vocantur in Oriente nati, *Judicum cap. 6. v. 33.* Sic filij terræ vocantur terrigenæ, filij arcus sunt sagittæ, *Job 41. v. 20.* filius aræ est frumentum, vel palea, *Isaïæ 21. v. 10.* Sic etiam *Exod. cap. 12. v. 3.* agnus Paschalis sancitur, quod sit *anniculus*, & hebraicè habetur *Ben Scana*, id est, filius anni, & quoties in Levitico, & Numeris iubetur, immolari ovis, vel agnus anniculus, hebraicè est *Ben Scana*, id est, *filius anni*. Simili tropo dicitur veritas filia temporis, quia tempus latentem veritatem sensum educit, & aperit. Hanc ex-

expositionem tradunt Illms. Abulens. *quest. 1. in cap. 13. lib. 1. Reg.* Genebrardus *in Chronico Saulis. P. Pineda lib. 8. Salom. cap. 2. num. 2.* Vatablus *adhunc locum. P. Salian. an. mun. 2964. num. 4.* Cornelius, & Mendoza *adhunc textum.*

3 Sed opponēs ex Magistro Cano, iuxta traditam doctrinam colligi, quod 2. *Regum cap. 5. v. 4.* dum dicitur: *filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset*, debet intelligi de annis regni, adeoque, quod David iam regnaverat 30. annos: & similiter *Jere. cap. 52. v. 11.* cum dicitur: *filius viginti unius anni erat Sedecias, cum regnare cœpisset*. Respondetur, negando consequentiam, quoniam contextus ipse in præallegatis locis obiectis ostendit, non posse accipi Sacram locutionem de annis regni; tum etiam, quia eodem *lib. 2. Reg. cap. 5. v. 4.* sic habeatur: *filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit; in Hebron regnavit super Iudam septem annis, & sex mensibus; in Hierusalem regnavit triginta tribus annis super omnem Israël, & Iudam.* Ubi conspicuum est verba illa, *filius 30. annorum erat David, cum regnaret cœpisset*, accipi non posse de regni annis, sed potius vitæ; cum immediatè regni David anni dicantur 40. & specificè distribuantur, in annos regni in Hebron super Iudam, &

in annos regni super omnem Israhel, & Iudam in Hierusalem.

4 Consimiliter de annis ætatis, non regni Sedecix, intelligi debent Jeremix verba *cap. 52.* nempe, *filius viginti, unius anni erat Sedecias, cum regnare cœpisset*; quia immediatè ipse Propheta subiungit. *Et undecim annis regnavit in Hierusalem*, id quod asseritur quoque *2. Paralipomenon, cap. 36. v. 11.* Ex quo compertum fit, verba illa, *filius viginti unius anni*, accipi non posse de Sedecix Regno, sed de annis ætatis ipsius, cum in eodem textu appertè habeatur, Regni annos fuisse tantum undecim; nec mirum esse debet, quod eadem verba diversam habeant significantiam; ita enim evenit ob fecunditatem, & altitudinem linguæ Hæbraicæ in significando paucis plura, sicut id ipsum contingit aliquando in eodem loco, ita vt ex intentione Spiritus Sancti plures sensus literales contineantur sub eisdem verbis, id quod non semel iuxta frequentissimam Patrum, plurimorumque Interpretum sententiam, evenit.



SECTIO SEXTA.

*DE ANNIS REGNI SAUL MULTIPLEX
deseritur sententia.*

1 **E**X prælibatis verbis *1. Reg. cap. 13. v. 1.* vbi de Saul dicitur, *duobus autem annis regnavit super Israhel*, non levis suboritur difficultas, quia omnia, quæ à Saule gesta referuntur à presenti, *ca. 13.* vsque ad finem libri, nullo modo geri ab eo patuere, si tantum regnavit duobus annis: plura enim sunt, quàm quæ brevi illo tempore confici, licuit. Præterea difficultas ex *cap. 13. Actorum*, incrementum accipit vbi dicitur: *Et extnde postulerunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis virum de Tribu Benjamin, annis quadraginta.*

2 Ingens igitur huius Chronologiæ difficultas Interpretes coegit in diversas abire sententias; & primò discutienda verit Mag. Cano sententia, qui existimavit, Saulem seorsim à Samuele regnasse annos 40. cui placito pauci adhærent, & merito; Samuelis quippè, & Saulis coniuncta gubernatio 40. tantum annorum est, vel quod eodem reddit, tempus à morte Heli vsque ad initium Regni Davidis, nec plurium, nec pauciorum annorum est,

quàm 40. nam si hunc numerum, vel augeas, vel diminuas, rectè explicari non potest, quod scriptum est. 3. *Regum*, cap. 6. nempe 480. anno ab egressu Israelitarum ex Ægypto, iacta fuisse Templi Salomonici fundamenta, vt in præcedenti *tertia dissertatione*, fuse tradidimus. Deinde S. Paulus *Act.* cap. 13. v. 21. Sauli, & Samueli annos tribuit 40. si rectè inspiciatur ipsius sententia. Qua propter communissima Interpretum explicatio de vtroque scilicet accipiendos esse, firmatur; quia ex Scriptura constat Samuelem, diu cum Saule vixisse, eundemque omnibus diebus vitæ suæ iudicis dignitatem tenuisse, vt cernere est *lib. 1. Regum*, cap. 7. v. 15. hisce perspicuis verbis: *iudicabat quoque Samuel Israel eunèis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circueiens Bethel, & Gulgala, & Masphath; & iudicabat Israel in prædictis locis*: imò vix est, qui Sauli soli, & seorsim à Samuele 40. annos tribuat, nisi forte D. Hieroným. in *tradition. Hebræis*. P. Serrarius in 3. *Regum*, cap. 6. prop. 2. & Mag. Canó *lib. 12. cap. 5.* qui totus est in oppugnanda probatissima Chronologia 3. *Reg. cap. 6.* vbi 480. annos statuantur ab exitu ex Ægypto vsque ad Templi fundationem; itaque plurima alia in discrimen veritatis, quæ referre longum esset, verum tamen ex S. Pauli sententia

De ann. Regni Saul mult. deff. sent. Sec. 6. 69
dicendum, si anni Samuelis cum annis Saulis coniungantur, quibus partim seorsim, partim coniunctim Rempublicam Israeliticam administrarunt, 40. tantum annorum numerum efficere.

3 Ita Eusebius in *Chronico latino*, vbi Samuel, & Saul coniunguntur (licet in Græco solus Samuel positus fuerit) ita etiam idem Eusebius de *Prepart. cap. ultimo in finem*. Sulpicius *lib. 1. Historia*, de Saule enim agens, *De etate*, inquit, *Imperij eius parum certa comperimus, nisi quod in Actis Apostolorum, 40. annos regnare dictus est. Quamquam ego arbitror tum à Paulo, cuius ea prædicatio refertur, etiam Samuelis annos sub Regis istius etate numeratos.* Sic ipse, & paulò post, hanc esse ait Chronologorum sententiam, Eusebij scilicet, quem plerique omnes sequuti sunt, præsertim D. Isidorus in *Chronico*. Nizephorus Constantinop. cum Antonio Concio, Beda, *cap. 13. Act.* ait, Apostolum illis 40. annis vtriusque gubernationis annos, nempe Samuelis, & Saulis fuisse complexum; idque Paulum tunc ex communi, quæ in Populo ferebatur sententia, affirmasse, & mediam ipsius temporis partem Samueli, alteram Sauli tribui ex Josephi sententia, sed hoc postremum merito ipse Beda retractat in *retractationibus in Acta.*

70 *Sacra Chron. & Histor. dissert. quinta.*

4 Nec aliter sentit D. Augustinus *lib. 17. de Civitate, cap. 7. Et lib. 18. cap. 2.* qui Eusebium perpetuò in ratione temporum sectatur, & consimiliter intelligendus D. Ioannes Christ. *hom. 4. in Acta*, dum Samueli annos videtur tribuere 40. Fræculphus Episcopus in *Chronico tom. 1. lib. 2. cap. 18.* totidem vice versa Sauli consignat. *Chronicon Alexandrinum* quia annos 40. bipertito dividit inter vtrumque Principem, sicut & Cedrenus, Liranus, & Interlinearis in *13. cap. Actor.*

5 Eadem est sententia Illmi. Abulensis in *1. Reg. cap. 13. quest. 1. Et in cap. 9. lib. 1. Regum, quest. 6.* ubi ait, omnes Doctores ita computare: stant quoque ab eodem placito Torniellus, Genebrardus, Mercator, & P. Gordus tam in *Chronologia*, quam in *questionibus, cap. 9. in fine.* P. Ribera *lib. 1. de Templo, capit. 1.* Cardin. Bellarmin. in *Chronologia. Pineda lib. 8. Salomonis, cap. 2. num. 2.* Lorinus in *cap. 13. Actor.* P. Salianus *anno Mund. 2962. num. 2. & seqq.* Quibus addi possunt è sectarijs Temporarius, Bibliander, & alij.

6 Subducitur hæc sententia ex ipsis verbis Apostoli, *citato cap. 13. Actor.* ibi: *Et post hæc dedit Deus eis Iudices vsque ad Saullem Prophetam, & exinde postulaverunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis virum de Tribu*
Be-

De ann. Regni Saul mult. dess. sent. Sec. 6. 71
Beniamin annis quadraginta, & amoto illo suscitavit illis David Regem. Ubi apparet annos 40. numerandos esse à tempore, quo Samuel communiter agnitus fuit esse Propheta Dñi. Tum quia certum est, Samuelem pluribus annis ante Saulem præfuisse Populo Israelitico: igitur cum Apostolus non dividat Samuelis annos à Regno Saulis, nec consignet Samueli Præfecturæ tempus aliquod determinatum, censendum est, Apostolum Samuelis, & Saulis annos coniunxisse, & annorum 40. periodo descripsisse.

6 Præterea Saulem non regnasse 40. annos, ex alijs fundamentis probatur, & in primis duos præcisè annos Regni Sauli concedunt Hebræi in *Seder Holam l. p. c. 13.* Adricomius, Gerardus Mercator in sua *Chronologia*, & Arias Montanus. Reffelluntur tamen, quoniam omnia illa, quæ à Saule gesta referuntur à præsentibus *cap. 13. vsque ad finem lib. 1. Regum*, qui liber vsque ad 31. caput protenditur, nullatenus geri potuere eo brevi temporis intervallo, duorum nempe annorum, ut ex sequenti *Sectione* amplius firmabitur.

SECTIO SEPTIMA.

SAULIS RES GESTAS PER SUMMA
capita refert.

1 **E**T quidem postquam eo *cap. 13.* dicitur, quod Saul duobus annis regnavit, asseritur, quod adscivit sibi, & Jonathæ filio tria milia militum; Jonathas autem percussit stationem Philistinorum: illi ingentem redintegrant exercitum, parantque prælium. Saul pavidus offert Sacrificium, ut Dei opem impleret. Interventis Samuel eumque obiurgat, quod se, uti iusserat, non expectaret; ideoque Deum, Regnum ab eo, quasi inobediente, ad Davidem traditurum edicit. Philistini, ut arma Hebræis eripiant, cavent, ne apud eos sit Faber ferrarius.

2 *Cap. autem 14.* postquam Jonathas solus cum armigero invadit Castra Philistinorum, Deo illis terrore iniiciente, ipsi mutua se cæde trucidant. Saul insuper debellavit Ammonitas, Moabitas, Idumæos, alioque per circuitum hostes: fuitque secundum Saulis prælium.

3 *Cap. 15.* Saul percussit Amalech ab Hevila usque ad Sur, quæ est è regione Ægypti, cum

Saulis Res gestas per sum. cap. ref. Sec. 7. 73
cumque Saul apprehendisset Regem Amalecivum, nempe Agag, pepercit ei Saul, contra Samuelis, & Dei iussum, & propterea à Samuele increpatur, & Regno privatur: fuit hoc tertium Saulis Prælium.

4 *Cap. 16.* Samuel vngit Davidem in Regem, ut Sauli mortuo succedat. Mox Spiritus Dei à Saul transit ad Davidem, ac Saulem exagitat spiritus malus, quem David pellit pulsando citharam. Et propterea eum diligit Saul, facitque suum armigerum; unde conficitur, quod Saul adhuc regia munia gerebat.

5 Idemque Saulis regium munus deducitur ex *cap. 17.* ubi refertur Davidis duellum cum Goliath, quem David funda prostravit, & gladio proprio ipsius caput amputavit: quomobrem fugiunt Philisthæi, ac cædunt eos in sequentes Hebræi: deinde Abner Davidem triumphantem, & manu gestantem caput Goliath ad Saulem veluti Regem deducit: fuitque hoc Saulis quartum Prælium.

6 *Cap. 18.* Davidi ob Goliath casum Populus acclamat: *Percussit Saul mille, & David decem millia*; quare Saul illi invidens, dolensque eum sibi præferri, cogitat eum occidere, primò vibrans in eum lanceam: secundo per Philisthæos in bello, cui eum præfecit, creando eum Chiliarcham, quem vulgo

74 *Sacra Chron. & Histor. differt. quinta.*
go *Colonellum* vocant; tertio per filiam suam;
quam ipsi despondit, poscens ab eo pro illa
centum præputia Philisthinorum, sperans illum
ab eis tandem aliquando occidendum. Porro
autem David percussit ex Philisthæis ducen-
tos viros, eorumque præputia attulit, & an-
numeravit Regi. En quintum Saulis bellum.

7 *Cap. 19.* Jonathas Saulis filius, qui dili-
gebat valde David, eum Sauli reconciliat: Da-
vid, cum motum rursus esset bellum, Philis-
thæos plaga magna cædit: fuitque sexta exerci-
tus Saulis pugna cum Philisthæis: vnde Saul in-
vidia, & spiritu malo agitatus lancea conatur
eum configere, sed ictum declinans evasit Da-
vid: iterum Saul misit satellites, qui Davi-
dem capiant ad cædem, sed Michol vxor Da-
videm monet, & dimittit per fenestram, po-
sito in lecto ipsius simulachro. David fugit ad
Samuelem, in Naioth Ramatha commoran-
tem: mox mittit Saul satellites suos eodem,
qui omnes cum Samuele Prophetant, ac tan-
dem ipse quoque Saul suos sequens, cum Sa-
muele eiusque socijs Prophetat: Unde Pro-
vetbium: *Num & Saul inter Prophetas?*

8 *Cap. 20.* David cum Jonatha de iniquo
Patris in se odio exostulans, cum eo foedus
initum certis pactis renovat, & confirmat;
Jonathasque promittit Davidi, patris se erga
eum

Saulis Res gestas per sum. cap. ref. Sec. 7. 75
eum animum exploraturum, ac per sagittas
eius amorem, vel odium, significaturum; Da-
videmque apud patrem excusat, sed pater in
eum exardescens lanceam parat. Unde Jona-
thas ex condieto odium implacabile Saulis
per sagittas Davidi significat, ac mox eum la-
crymis amplexans in pace dimittit.

9 *Cap. 21.* David fugit ad Achimelech
Pontificem in Nobæ, ab eoque petit, & acci-
pit Propositionis panes, & Goliæ gladium; in-
de videns ob Saulis odium, in Judæa vtpote
Sauli subiecta, se latere non posse, fugit ad
Achis Regem Geth, apud quem proditus, &
accusatus simulat se stultum, itaque liber
evadit.

10 *Cap. 22.* David fugit in speluncam
Odollam: inde monente Gad Propheta, red-
dit in terram Judæ: audit id Saul, suosque in-
citatur, ut ipsum adiuvent, & persequantur Da-
videm sequentes. Doeg accusat Achimelech
Pontificem, quod Davidi dederit panes, & gla-
dium Goliæ, quare Doeg iussu Saulis octo-
ginta quinque Sacerdotes, & Levitas occidit.

11 *Cap. 23.* cum Philisthijm oppugna-
rent Ceilam, eam liberat David: en septimum
prælium regnante Saule, qui hac à Davide
obtentata victoria, destinat eum ibidem
cingere, & capere: quare David consulens

Dominum, audit, se à Ceilanis tradendum Sauli; quo circa fugit ipse in montem Ziph, ubi eum visitat, & confortat Jonathas. Mox Ziphai indicant Sauli, Davidem apud se latere; sequitur ergo eos Saul cum copijs, cingitque Davidem, cumque iam eum capturus esset, nuntius occurrit dicens, Philisthæos invasisse Judæam; quapropter Saul, ut eis resistat, Davidem persequi desinit.

12 *Cap. 24.* David fugit in desertum Engadim: Saul postquam persecutus est Philisthæos, quæ octava pugna eius cum illis fuit, insequitur iterum Davidem, & cum in spelunca Saul purgaret ventrem, David in ea latens oram chlamydis eius abscindit: quam Sauli ostentans, cum illo ex postulat, quod se innocium iniuste persequatur: si enim ei nocere voluisset, in spelunca eum occidisset: Saul autem compunctus, & flens, *iustior*, inquit, *tu es quam ego*: asseritque, ipsum post se regnaturum, quare ab eo iuramentum exigit, quod non delebit suam stirpem, itaque eum liberum dimittit.

13 *Cap. 25.* Moritur Samuel: David à Nabal duro, & pessimo petit annonam, ille autem in eum convicia, & contumelias iacit: audit hoc Abigail prudentissima, & speciosa vxor Nabal, suaque blandiloquentia, & mu-

Saulis Res gestas per sum. cap. ref. Sec. 7. 77
nificentia Davidem placat: post decem dies Deus occidit Nabal: David Deo gratias agit, & duas vxores ducit Abigail, & Achinoam de Jezrael, pro Michol, quam Saul ei abstulit, tradiditque Phalti.

14 *Cap. 26.* David parcens Sauli dormienti, tollensque eius hastam, & scyphum, illaque ostendens Sauli iam excitato, audientique vocem, qua clamavit David, suam clementiam allegans, eius iram, odiumque expugnat, ut dicat: *Benedictus tu fili mi David.*

15 *Cap. 27.* David parum Sauli fidens fugit ad Regem Geth in terra Philisthinorum, ab eoque obtinet urbem Siceleg, ex qua assidue prædatum excurret in hostes Israelis, omnes occidendo, ne quis eum apud Regem accuset: habitavitque David in terra Philisthinorum per quatuor menses.

16 *Cap. 28.* Saul instante prælio, utique iam nono, de eius eventu sciscitatur Deum, sed eo non respondente, consulit Pythonissam, quæ ei suscitatur Samuelem, qui Sauli eiusque castris perniciem, eademque prædicat.

17 *Cap. 29.* Achis Rex Geth ducit secum Davidem ad prælium contra Saulem, sed socijs eius Philisthinis de Davidis fide dubitantibus, ideoque contradicentibus, eum domum remittit. *Cap. 30.* cum venissent David, & sui in

in Siceleg, Amalecitæ impetum fecerunt in Siceleg, eamque succendunt: eos David cum suis insequitur, & commellantes cædit, spoliatque, mox spolia inter eos, qui pugnaverant & eos qui ad sarcinas manserant æqualitèr dividit, ac partem ad alias Judææ vrbes transmittit: fuitque decimum prælium.

18 *Cap. 31.* Philisthijm pugnam commiserunt adversus Israel, Hebræosque cædunt in monte Gelboe: vnde Saul, ne in eorum manus incidat, gladio incumbens se ipsum occidit: Philisthini caput Saulis præcisum in Philisthæam mittunt, & arma in templo Astaroth, corpus verò in muro Betfan suspendunt. Sed illud inde auferunt viri fortissimi Jabes Galaad, ac combustum sepeliunt in nemore Jabes, & ieiunaverunt septem diebus: hocque prælio vndecimo Saulis vita, & Regnum simul finem accipiunt.

SECTIO OCTAVA.

INSTAURATUR OPPUGNATIO SENTENTIA DE DUOBUS PRÆCISE ANNIS REGNI SAUL, & ALIA EIUSDEM PLACITI EXPOSITIO REIJCITUR.

I EX prælibatis *Sec. 7.* compertum fit, tot prælia, totque discrimina rerum, quot Regnante Saule evenere, brevi ad-

Instauratur oppugnatio sent. & c. Sec. 8. 79
admodum annorum periodo circumscribi non potuisse: & propterea stare nequit sententia asserens, Saulem duobus tantummodò annis regnasse: quod adeò perspicuum apparet, vt ideo alij doceant, Saulem duobus duntaxat annis Regem legitimum fuisse, cum quo tamen optimè componi, asserunt, quòd per plures annos tyranicè imperium retinuerit, atque exercuerit, ex quo scilicet, 1. *Regum cap. 13. v. 13.* non custodiens mandata Domini, reprobatus fuit ab ipso Deo, quæsitque Dominus sibi virum iuxta cor suum, nempe Davidem, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super Populum suum. *Et cap. 15. v. 23.* dixit Samuel ad Saulem: *Pro eo quod abiicisti Sermonem Domini, abiicit te Dominus ne sis Rex.* Saul quippè iussus delere Amalec percit Agag Regi, & melioribus iumentis. Prælibatam igitur expositionem tradunt P. Pineda *lib. 8. de Salomone.* Illustris. Abulen- sis, Cardinalis Hugo, Vatablus, & Lira.

2 Oppugnatur tamen hæc sententia primò, quoniam longè verisimilius est, Saulem à prima sui electione vsque ad obitum fuisse verum, ac legitimum Regem, vt hoc loco 1. *Reg. cap. 13.* edocent Cartusianus, ac P. Mendoza, idemque probabile putat Exim. Doct. *contra Anglicana Sectæ errores lib. 3. capit. 3. num. 8.* Et

3 Et ex Scriptura fulcitur, nam David semper observavit Saulem, vt Regem legitimū, & sic Amalecitem, qui eum à se occisum dicebat, vt reum læsæ maiestatis iussit, interfici, *lib. 2. Reg. cap. 1. v. 14.* ipseque David reveritus in eo regiam dignitatem, ausus non est, eum occidere, cum facile posset *1. Reg. cap. 24. v. 5.* Et *cap. 26. v. 11.* ibi: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Favetque D. Chrysostom. *hom. 1. de Davide, & Saule,* ibi: *Non dum Deus abdicavit illum principatu, non dum fecit eum ex Rege privatum.* Quod si obijcias, vivente adhuc, Saule inunctum fuisse à Samuele Davidem, *1. Reg. cap. 16. v. 13.* Respondetur, quòd ea inunctio non eò valuit, vt David tunc esset Rex, sed vt verus, ac legitimus Regis Saulis successor existeret.

4 Contra secundò, quia dato, quod Saul ex eo inunctionis tempore, re vera potestatem, ac dignitatem amisisset regiam, vt censent multi, inter quos P. Salian. *anno Mundi 2968. num. 50.* vtque indicant verba illa *lib. 1. Reg. cap. 15. v. 23.* *Pro eo quod abiicisti Sermonem Domini abiicit te Dominus ne sis Rex.* Tamen id certissimum est, eum antea legitimè regnasse plusquam duobus annis, id enim abiectio- nis Saulis à Deo factæ contigit Regni Saulis

Institutione oppugnatione sent. &c. Sec. 8. 81
 lis anno 7. vt probat P. Salianus ad *ann. Mundi 2969. num. 1.* & plures, quam duos intercessisse subducitur ex eo, quòd David Sauli in Regno, & eius possessione successit, cum esset 30. annorum, vt liquet ex *2. Reg. cap. 5. v. 4.* si ergò David inunctus fuit secundo Regni Saulis anno, provt sententia, quam oppugnamus, docet, cum deinceps exauthoratus Saul regnaverit annis 16. aut 18. iuxta frequentiores sententias, tribuentes 18. aut 20. annos Regno Saulis, fieret, Davidem inunctum fuisse 14. aut 12. anno ætatis suæ, hi enim anni cum decemsex, aut decemocto faciunt 30. quot scilicet annorum erat David, quando successit Sauli.

5 Consequens autem est contra praxim Populorum, apud quos, qui Reges sunt per electionem plures solent habere annos quam 14. & contra Scripturam videtur esse; si enim duntaxat haberet annos 14. David, quomodo eum paulò post appellarent servi Saulis *fortissimum robore, & virum bellicosissimum, & prudentem in verbis, 1. Reg. cap. 16. v. 8.* Et denique est contra communem DD. sententiam; eorum enim iam plerique cum Illmo. Abulensi, P. Cornelio *in citat. cap. 16. lib. primi Regum, v. 13.* & Saliano *anno Mundi 2969. numer. 1.* tribuunt Davidi, tempore inunctionis

eius à Samuele, viginti circiter annos, & qui non tot, saltem quindecim cum Tornielo, Serario, & Severo Sulpitio.

6 Hac autem posita sententia, quæ 15. saltem tribuit Davidi annos, oportet tribus saltem annis, regnasse Saulem ante Davidis inunctionem; nam cum David regni possessionem fuerit adeptus agens 30. annum, 2. *Regum*, cap. 5. facta ipsius inunctione anno ætatis eius 15. tum 15. consequentibus annis ante adeptam possessionem Regni, usque ad complendos 18. annos, quibus omnino Saul Regnum, eius vè possessionem obtinuit, restant anni 3. interiecti inter inunctionem Davidis, & Saulis: ut ergo facer textus *libri 1. Reg. cap. 13.* enumeraret annos, quibus Saul regnavit ante Davidis inunctionem, deberet dicere, quod Saul regnavit tribus annis, quod non dicit: perperam igitur exponuntur duo illi anni Regni Saulis in Sacro Textu recensiti, de tempore, quo Saul regia munia ante Davidis inunctionem gessit; si quidem hoc tempus fuit annorum septem, vel saltem trium, ut ex dictis conficitur.

7 Sed opponat quispiam: Davidi post inunctionem à Saule dictum fuisse, non vales resistere Philistæo isti quia puer es 1. *Reg. cap. 17. v. 33.* Ergo David nequiquam 20. annorum,

eo tempore esse poterat, ut supra dicebamus. Respondetur ex P. Saliano ad annum 2969. num. 1. id fuisse dictum à Saule, quoniã Davidis statura pusilla erat, Saulis autem prægrandis, iuxta 1. *Reg. cap. 16. v. 7.* in eundemque rectè retuleris sentum illud Isai. 1. *Reg. cap. 10. num. 23. reliquus est parvulus, & pascit oves,* in hebræo enim habetur *minor*, id est, minimus natu, & statura pusillus.

8 Dicendum igitur ex illis 40. annis à D. Paulo relatis, regnasse Saulem 18. quorum scilicet 16. vivo Samuele, duos ipso defuncto, transegit Saul. Id quod rebus ipsis gestis, & in Sacro Textu descriptis optimè congruit: nam a morte Heli vnum circiter annum mansit Arca Domini, tam apud Philistæos, quam Bethsamitas: quoniam in regione Philisthinorum fuit Arca Domini septem mensibus, *lib. 1. Reg. cap. 6. v. 1.* Inde translata ad agrum Josue Bethsamitis, *dic. c. 6. v. 18.* ibi autem aliquo tempore permansit, ut subducitur ex eodem loco, ibi: *Quæ (scilicet Arca) erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis.*


9 Tum 20. annis in Cariathiarim ante renovatum foedus, in Masphath, nam 1. *Reg. c. 7. v. 2.* sic habetur: *Et factum est, ex qua die mansit Arca Domini in Cariathiarim multiplicati sunt dies, (erat quippe iam annus vigesimus)*

& requievit omnis domus Israel post Dominum: inde secutum est bellum contra Philistæos, *dic. cap. 7. v. 10.* quod 22. annum complet, simul cum tempore, quo filiorum Samuelis gubernatio experientia probata, reprobataque est: sicque anno 23. à morte Heli, & ab Arca Domini capta, Rex petitus à Populo, atque impetratus est, electusque Saul, quæ omnia solita sua eruditione probat fusè P. Salian. ab *anno Mundi 2940. vsque ad annum 2962.*

10 Et ex dictis conficitur, Saulem regnasse annis 18. videlicèt 16. vivente Samuele, duobus autem Samuele mortuo, vt tradunt Clemens Alexandrin. *lib. 1. Stromatum*, Illms. Abulensis, & alij, quibus subscribunt P. Salianus *anno 2977. à num. 1.* & Cornelius *1. Regum, cap. 13.* Porrò autem ijs 18. annis, quibus regnavit Saul, & 22. quibus Samuel imperavit, sivè vt Iudex iura dedit Israelitico

Populo ante inunctionem Saulis, complentur anni 40. de quibus D.

Paulus in Actis Apostolorum.



SECTIO NONA.

EXPLICATUR DENUO NOSTRA SENTENTIA, & obiectionum solutione constabitur.

I RELIQUUM verò est, vt apperiamus sensum verborum illorum *1. Reg. cap. 13.* vbi de Saule dicitur: *Duobus autem annis regnavit super Israel*, vbi aliqui existimant sermonem esse literalitèr de duobus annis, quibus Saul, defuncto Samuele regnavit; quod enim tot tantum annis post obitum Samuelis regnaverit Saul, docent Clemens *lib. 1. Stromatum*, Josephus *lib. 6. Antiquitatum*, Rufinus apud P. Lorinum *in caput 13. Actor.* qua posita sententia, nihil in commodi sequitur ex eo quòd Saul per plures annos Regnum obtinuerit.

2 Sed contra, quia præproperè nimis fieret in præsentì capite sermo de duobus illis annis, quibus Saul, defuncto Samuele, regnavit; cum de his tantum, quæ gessit, Samuele superstitè, agatur hoc capite, & per plura sequentia. Hic enim recolendum est, sensum literalem non posse cum esse, iuxta quem, cum sequentibus antècedentia verba non coherent; si aliunde id cohærentiæ eadem verba habere

possunt. At duo vltimi anni Saulis non habent connexionem cum historia, in hoc *cap. 13. lib. 1. Regum*, quæ tota est de his, quæ gessit Saul primis, & consequentibus annis, inde reiectis in postrema huiuscæ libri capita, quæ ab eo gesta sunt post Samuelis obitum: vt cer- nere. est *cap. 25. v. 1.* vbi Samuelis obitus ponitur, & *cap. 28.* vbi Samuel, iam vita functus, Sauli apparet: de eius igitur vltimis duobus annis non esse potest literaliter textus præsens.

3 Igitur sensus verborum *1. Reg. cap. 13. duobus autè annis regnavit super Israel*, satis probabiliter referri debet ad proximè sequentia, scilicet, & *elegit sibi Saul tria millia de Israel*, quasi dicatur, duobus primis annis, sat habuisse Saulem, vitata electionis invidia, sibi Populum conciliare, & se adversus malignas linguas modestia, dissimulacione, & autoritate Samuelis tueri. Postea, cum se satis firmasset, cœpisse, Saulem more regio, sese stipare satellitibus, non quòd alioqui duobus tantum annis regnaverit. Ita Genebrardus ad *annum Mundi 3106. in Chronico Saulis. P. Pineda lib. 8. de Rebus Salomonis, cap. 2. num. 2.* Illms. Abulensis in hoc *caput 13. lib. 1. Reg. quest. 1.* P. Salius ad *annum Mundi 2964. & Saulis 3. num. 4.* P. Lynce *lib. 1. de Locis, capit. 6. numer. 52. sine.* Cornel. Torniiellus, & alij.

4 Oppones: vel Saul primum Regni sui annum agebat, quando cœpit hoc sese satellitio munire; vel secundo iam Regni anno exacto id effecit? Si primum: ergo falsa est expositio nuper à nobis tradita. Si secundum: ergo falsa est interpretatio supra exhibitæ ad prima illa verba textus; *filius vnus anni erat Saul cum regnare cœpisset.*

5 Responderetur, posse distingui priores illos duos annos Regni Saulis, prioremque fuisse ab inunctione ad innovationem Regni Saulis: posterioremque ab innovatione ad delectum militum, qui hoc loco memoratur. Postquam enim fuit inunctus Saul, innovatum fuit Regnum ipsius, anno primo Regni, vt ex Sacro Textu supra constitit; biennio autem transacto, elegit sibi milites, vt in præsentem *cap. 13.* asseritur. Sic Vatablus, cui favet P. Salius *ann. Mundi. 2964. num. 4.* Vel planiori sensu dicatur, textum præsentem ita exponendum, vt in prioribus illis verbis, *filius vnus anni*, asserat, illum esse priorem annum è duobus, quibus regnavit Saul in Israel, ante quam satellitium sibi eligeret.

6 Oppones 2. ex Hebræis in Seder Holam *1. part. cap. 13.* Samuel, & Saul *13. duntaxat annos præfuerunt Israeli: ergo non recte nos supra 40. annos illis concedimus, Samue-*

88 *Sacra Chron. & Histor. dissert. quinta.*
li videlicet 22. & Saulis 18. Antecedens
probat, quia Arca viginti tantum annis man-
sit in Cariathiarim, vt deducunt ex *lib. 1. Re-*
gum, cap. 7. v. 2. ibi: *Et factum est ex qua die*
mansit Arca Domini in Cariathiarim, multipli-
cati sunt dies (erat quippe iam annus vigesimus)
& requieuit omnis domus Israel post Dominum.
Inde verò reductam Arca à Davide in Jerusa-
lem post 7. annos Regni sui super Iudam, 2. *Re-*
gum, cap. 5. v. 5.

7 Itaque si de viginti annis, quibus Arca
stetit in Cariathiarim, 7. auferantur, Regni
scilicet Davidis, remanent solum 13. quorum
duobus regnavit Saul ante Davidem, vt di-
citur *1. Reg. cap. 13.* Reliqui igitur vndecim
anni erunt Samuelis: ita ratiocinantur, ac cen-
sent Hebræi, quibus adhæsit Constantinus
Phrigo. Eupolemus autem, qui Hebræorum
conscripsit historias, apud Ludovicum Vives in
18. librum de Civit. Dei, cap. 20. litera C. Sa-
mueli, & Sauli dat annos 21. iuxta Eusebium
de Preparatione.

8 Præterea: quòd Arca 20. tantum annis
manserit in Cariathiarim, est etiam sententia
Iosephi aientis: *Cura Arca commissa est filijs*
Abinadab, quam per viginti annos cum summa
laude gesserunt; tot enim annos in Cariathiarim
mansit. Eum de more sequitur Zonaras, &

Ce-

Explicatur denuò nostra sent. &c. Sec. 9. 89
Cedrenus in *1. Reg. cap. 7.* Favet D. Hieron.
in *traditionibus Hebraicis.* A tempore (inquit)
quo reprobatum Sacerdotium Heli vsque ad Sa-
muelis ducatum viginti fuerunt anni miseriarum
referti. Videturque significare annos postero-
res Heli, quibus in Arcæ captivitate, & mul-
ta Israelitarum strage terminatis, Samuel fac-
tus est Iudex. Deinceps enim harum miseriarum
nulla memoria. Addit verò idem Hiero-
nymus; *peracto vigesimo anno translata est ea-*
dem Arca à Samuele in Masphath, &c. Quæ to-
tidem verbis refert, sequiturque Rupertus in
1. Reg. cap. 17. Comestor, Dionysius, Ange-
lomus, & alij RRs. quorum nonnulli refe-
runt, hos annos vsque ad Saulis Regnum pro-
tendi.

9 Ut obiectioni huic fiat satis, dicendum,
Arcam Domini mansisse in Cariathiarim, vt
ordinario domicilio apud Abinadab vsque ad
Regnum Davidis, qui eam inde transtulit in
domum Obededon primò, deinde in Jerusalem
in domum suam anno Regni sui decimo. Ex quo
sequitur, Arcam mansisse in Cariathiarim ad
annos vndequingenta, videlicet 22. annos
iudicante Samuele, & ante Saulis Regnum:
deinde annos 18. Saule regnante: vt dictum
est *Sec. 8. num. 8. 9. & 10.* Deinde regnante
Davide annos novem: David quippe anno
sep-

septimo sui Regni ineunte adeptus est possessionem totius Israelitici Imperij 2. Reg. cap. 5. v. 5. deinde expugnauit Jebusæos, & geminum bellum contra Philisthæos confecit, facta insuper ædificatio Sionis, & Davidicæ Regiæ, vt constat ex 2. Reg. cap. 5. quæ omnia facillè duos annos tenuerunt, & cum præcedentibus constituunt annos 49. mansionis Arce in Cariathiarim: his enim peractis translatio Arce in Sion facta est, vt liquet ex 2. Reg. cap. 6.

10 Hæc est sententia Illmi. Tostati in caput 7. 1. Reg. quest. 11. nisi quod de anno Regni Davidis dissentit: consentit Cayetus, qui etiam inficiatur, vllam inveniri in Scriptura Arce translationem intermediam, seu priorem ea, quæ facta est à Davide: adsentiuntur Cornelius, & Mendoza.

11 Quod si aliquando interea in castra deducta legatur, vt cum Saul pugnaturus erat contra Philisthæos, vt. 1. Reg. cap. 14. v. 18. dum dicitur: *erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filijs Israel.* Id ad breve tempus fuit, vt ex eodem Sacro Textu colligitur; non enim frustra dicitur *in die illa*, nempe ad præsentem necessitatem; semper enim reducebatur in Cariathiarim, vt disertè scribit Eucherius, cum quo P. Salian. *ad ann. 2960. num. 3.*

Nec

12 Nec obest quòd Samuel obtulerit holocaustum in Masphath, & quòd Populus aquam effudit in conspectu Domini; non enim ideò Arca, aut Tabernaculum ibi fuisse necesse est, quoniam Prophetis divina dispensatione licuit, vbi libuisset sacrificare, vt Eliæ in Monte Carmelo, & Samueli in Ramathà, & in Bethlehèm. Nec ea phrasis *in conspectu Domini*, aliud evincit; nam Moses in Monte Sinà, se in conspectu Domini fuisse testatur, *Exodi 33. v. 34.* & se iacuisse *coram Domino quadraginta diebus*, *Deuteron. cap. 9. v. 23.* Ita ergo effuderunt aquam in conspectu Domini, quomodo Abraham ambulavit in conspectu Domini, *Genes. cap. 14. v. 40.* idemque dicendum de Galgalis, cum enim 1. Reg. cap. 11. v. 15. afferatur: *Et perrexit omnis Populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Nihilominus id præstitit Populus, & Samuel, quanvis eo in loco non reperiretur Arca, nec Tabernaculum, vt ibidem adnotat P. Cornelius. Consimilitèr intelligendum, quod habetur eodem 1. Reg. cap. 13. v. 9. & seqq.

13 Id etiam adnotandum, quòd licèt Genebrardus à nonnullis pro contraria referatur sententià, ille tamen nostræ adspulatur,

tur, sic enim habet in Heli Judice: deinde collocata est Arca in Cariathiarim, ubi non solum viginti annis mansit apud domum Abinadab, quousque afferretur magna pompa à Davide, ut vitiosè colligunt Hebraei, ex 2. Reg. cap. 6. verùm etiam tunc præterierant anni viginti, cum Samuel Judicis munere fungens sanctam illam concionem habuit, que extat 1. Reg. cap. 7. Hæc Genebrardus. Illa autem Samuelis concio habita fuit ante primam inunctionem Saulis, quæ refertur postea cap. 10. Igitur viginti anni, de quibus in eodem lib. 1. cap. 7. non possunt computari vsque ad translationem Arcæ, quæ facta fuit à Davide, sed præter illos viginti annos addendum est tempus Regni Saulis.

14 Affertur etiam pro opposita nobis sententia Mag. Cano lib. 11. cap. 5. qui sub *finem 12. argumenti*, negat Samuelem his 20. annis fuisse Judicem, sed Prophetam, & putat post hos 20. annos cœpisse Judicem esse; nimirum Canus totus est in evertenda probatissima Chronologia lib. 3. Regum, cap. 6. ubi 480. anni statuuntur ab egressu ex Egypto vsque ad Templi foundationem, itaque plurima alia turbat, quæ movenda non sunt, & quæ referre longum esset, & inter alia separat annos Samuelis à Saule, & huic 40. illi 8. tribuit.

15 Cæterum Chronologia, & positio
Ca-

Canis stare non potest, tum ex suprâ dictis, tum quia opugnare contendit expressum Vulgatæ textum in citato lib. 3. Reg. cap. 6. cui concinunt aliæ lectiones, & Interpretes communiter: vide nostram *differt.* 3. Tum præterea, quia si cœpit Samuel iudicare Populum anno 20. ex quo Arca erat in Cariathiarim, ut vult Canus, non potuit Samuel octo annos Judex esse Populi, ut ipse Canus intendit; quoniam ab eo 20. anno mansionis Arcæ in Cariathiarim ad initia Saulis, non octo, sed vix tres anni, ac ne vix quidem reperiuntur, ut optimè ostendit P. Salianus, in *Scholio ad ann. 2960. num. 1.*

16 Unde diluitur prælibatâ obiectio, quia præter annos viginti commorationis Arcæ in Cariathiarim, veniunt addendi anni duo, quibus Samuel iudicavit Populum ante inunctionem Saulis, qui complent tempus 22. annorum, quibus Samuel, ut Judex præfuit: deinde regnavit Saul 18. annis, & post Saulem David anno 10. Regni sui, Arcam transtulit de Cariathiarim in Jerusalem; adeoque Arca in Cariathiarim mansit 49. annos; licet enim Illms. Toftatus existimaverit, Davidem Arcam transtulisse eodem anno, quo factus est Rex super Jerusalem, & univèrsam Israelem; id quod contingit anno 7. & 6. mense, ex quo cœ-

coepit regnare David supra Judam in Ebron, vt constat ex *lib. 2. Reg. cap. 5.* Admittenda est tamen aliqua mora in expugnandis Jebusæis, & in gemino bello contra Philisthæos gerendo, & alia quæ supra libavimus, quæ planè exigunt duorum annorum tempus; imo Torriellus hanc Arcæ translationem in annum Davidici Regni vndecimum differendam putavit; melius tamen opinatus videtur P. Saljanus *ann. Mundi 2980. num. 7.* vbi ad annum Davidis decimum illam refert.

17 Ex dictis fulcitur quoque, ab egressu Israelitarum ex Egypto vsque ad iacta Salomonis Templi fundamenta fluxisse annos 480. vt habetur *lib. 2. Reg. cap. 6. §. 1.* vtque in *Dissert. 3.* fusè tradidimus, tum quod *Dissert. 4. Sec. 2. num. 3. & seqq.* vbi ad hanc temporis rationem stabiliendam, Samueli 22. annos, Sauli autem 18. consignavimus, ex illis quadraginta, quos D. Paulus *Actor. cap. 13.* his tribuit Principibus.

18 Utque tempori, quo Hebraici Populi Regnum exordium sumpsit, lucem ampliorem impertiamur, huius temporis notas subijcio: coepit igitur regnare Saul, primus Israelitarum Rex, anno Mundi 2962. 5. Ætatis 23. Exitus ex Ægypto, & datæ Legis 419. Samuelis Iudicis 23. Arcæ in Cariathiarim 22. vbi ad-

Explicatur denuò nostra sent. &c. Sec. 9. 95
adnota, Arcæ moram apud Philisthæos, & Bethsamitas vnus circiter anni fuisse: fuit igitur quoque idem Saulis primus annus Achig, qui & Achimelech Pontificis 1. etatis Davidis 13. Excidij Troiani 92. Dercyli Assyrij Regis 12. Imperij Assyriorum 1031. ante ortum Christi Domini 1091. sic apud sapientissimum P. Jacobum Salianum, hoc eodem anno, ad notatum reperies.

SACRA CHRONOLOGICA, DISSERTATIO SEXTA.

DE ANNIS REGNI ASA.

Ad intelligentiam lib. 3. Reg. cap. 16. Et lib. 2. Paralipomenon, cap. 16.

SECTIO PRIMA.

*QUÆDAM PRÆMITTIT DE DAVIDE,
Salomone, & alijs Regibus vsque ad Asa.*

DE tempore, quo regnavit David, qui Sauli successit, nulla esse potest difficultas, aperte enim habetur in *Sacra Pagina lib. 2. Reg. cap. 5. §. 4.* quod, *Qua-*
dra-

draginta annis regnavit : id ipsum legitur *lib. 1. Paralip. cap. 29. v. 26. & 27. ibi : Igitur David filius Isai regnavit super univrsam Israel. Et dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni : in Hebron regnavit septem annis, & in Ierusalem annis triginta tribus. Et mortuus est infenectute bona, plenus dierum, & divitijs, & gloria.*

2 Nihilominus adnotandum primò, in *lib. 2. Regum, cap. 5. v. 5.* dici quòd David in Hebron regnavit super Iudam septem annis, & sex mensibus : in Hierusalem autem regnavit triginta tribus annis : quapropter videtur non cohærere hæc temporis ratio, traditæ *lib. 1. Paral. cap. 29.* vbi nulla fit mentio sex mensium, vltra septem annos Regni in Hebron : & iuxta textum *lib. 2. Regum*, dicendum potius videbatur Davidem regnasse super univrsam Israel annos quadraginta vnum, seu quadraginta cum dimidio.

3 Huic difficultati occurrunt Hebræi apud D. Hieronymum in *Traditionibus*, dicentes Davidem regnasse quadraginta annis, & sex mensibus, sed hos menses non computari, eò quòd David per sex menses Absolomum fugerit, vel morbo laboravit ; P. Cornelius existimat id temporis prætermitti, quoniam Scriptura sæpè numeros integros consignat, & frac-

tionem, si vè minutias numerorum omittit ; id quod libavimus *Dissert. 2. Sec. 4. num. 10. & sequentibus.* Huic expositioni adstipulatur P. Salius, & pro exquisita sua eruditione, & doctrina de ratione temporis, edocet, illos sex menses ad Saulis, si vè Samuelis annos quadraginta non perfectos referri, sic tradit *ann. Mund. 2979. num. 167.* vbi dissertè inquit, annum Davidis primum post sex menses à morte Saulis inchoandum : idque consignat *ann. Mund. 2986. & Davidis 7. num. 20.* quia videlicet sex illi menses in Saulis anno 18. & vltimo includuntur, iuxta Sacræ Paginæ computationem in citato *lib. 2. Reg. cap. 5. v. 4. Et lib. 1. Paralip. cap. 29. v. 27.*

3 Secundò prænotandum, Salomonis regnum, vivo Davide, inchoatum fuisse, eodemque Davide superstite, ac volente, pro Rege se gessisse, & Regnum administrasse Salomonem : id quod docuit D. Ambrosius, *lib. 3. in Lucam.* D. Hieronymus, *Epist. 132.* quæ est ad Vitalem. Ubi inquit, vixisse Davidem, regnante iam filio, aliquot annos. D. Augustinus, *lib. 17. de Civit. cap. 8. Rupert. lib. 3. Reg. cap. 4.* cuius hæc sunt perspicua verba : *Vivente adhuc patre, Rex Salomon constituitur ; quia profectò Deus Pater, qui Christum constituit Regem, heredem univrsorum, nunquam*

mortuus, nunquam est moriturus. Sulpitius Severus *lib. 1. Sacra Historia.* ait: *Salomon regali unguento per Sadoc Sacerdotem unctus, patre adhuc incolumi, Rex appellatus est.* Id quod sine iniuria patris fieri non posset, nisi re vera Rex esset. Adfentiuntur PP. Pineda *lib. 2. de Salom. cap. 10.* Salian. *ann. Mund. 3020. num. 3.* Cornelius *lib. 3. Reg. cap. 1. v. 45.* Petavius *de Doctr. temp. lib. 13. periodi Julian. ann. 3699.* etiam eodem primo anno Regni Salomonis, mortuum Davidem fuisse, asserat.

4 Probaturque satis dilucidè ex toto *cap. 1. lib. 3. Regum*, ubi Davidis iussu, legimus, quòd Salomon proclamatus est Rex, inungitur, ab universo Populo agnoscitur, & in Regem illis verbis acceptatur, *vivat Rex Salomon.* Davidque ipse sese abdicans summo hoc Magistratu, eumque in filium transferens, adoravit in lectulo suo, & locutus est: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis:* ex quibus verbis deducit, ac edocet fusè P. Pineda, pro Rege sese gessisse Salomonem, etiam vivente patre. Tum quia Salomon, vt Rex Adoniæ fratri suo pepercit, & hic vice versa, supplicè adoratione erga eum utens, pro Rege, quantumvis invitus, & iuniori fratri regiam invidens dignitatem agnovit, & huiusmodi er-

ga se præditum iurisdictione fatetur, cum ait: *Iuret mihi Rex Salomon hodie, quòd non interficiat servum suum gladio.* Nisi autem pro Rege eum agnovisset, non ab eo, sed à Davide patre, quem admodum erga se indulgentem agnoscebat, culpæ veniam postulasset.

5 Nec Salomon, vt observat P. Salius *ann. Mund. 3020. num. 5.* invidiosam hanc in fratrem causam vsurpasset, sed reiecesset ad cognitionem patris, & tamen sententiam de eo pronuntiat, veniam dat pro culpa præterita, mortem pro futura interminatur, *lib. 3. Reg. cap. 1. v. 57.* *Dixitque Salomon: si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.* Nihilominus Illustrissimus Dominus Tostatus *lib. 3. Regum, cap. 1. quæst. 40.* edocet, Salomonem inunctum in Regem, vt Rex esset, sine vlla controversia patre defuncto, interim autem solum Davidem fuisse Regem, nimirum sicut David ipse, vivente Saule: P. Pineda, patrem, & filium simul fuisse Reges, videtur admittere, quoniam David non abdicarat adhuc à se regiam potestatem, & Salomon re ipsa Rex erat. Verum Sacro Textui magis consonum videtur ex dictis, quòd David non ultra Rex fuerit, vt qui Regnum in filium sciens, prudensque solemni ritu

palam transfulisset, ut poterat transferre, et si filius eum quasi Regem venerabatur, & ex eius consilio, & arbitrio, pro sua modestia, ingenitaque sapientia Regnum administrare incipiebat.

6 Ex qua positione dicendum venit, tempus, aut annos, quibus David supervixit, regnante Salomone, non Davidi tribuendos, sed Salomoni, adeoque non in Davidis Regni annis computari: ita P. Salius *an. Mund.* 3020. *num.* 6. ex prælibatisque subducitur, nam Salomon, vivente adhuc Davide, regnavit: deinde Davidis regni tempus fuit annorum quadraginta, *lib. 3. Reg. cap. 2. v. 11. Et 1. Paral. cap. 29. v. 27.* ex æquo Salomon annos regnavit quadraginta, *lib. 3. Reg. cap. 11. v. 42.* igitur ab initio Regni Davidis usque ad finem Regni Salomonis, nec plures, nec pauciores octoginta anni elapsi sunt: igitur tempus, quo vivente patre, Salomon Regis obivit munus, computandum in annis 40. quibus Salomon regnavit.

7 Quantum verò fuerit tempus, quo vitam duxerit David, regnante Salomone, ambiguum fati est: existimat autem P. Salius *an. Mund.* 3021. *n.* 88. anno secundo Regni Salomonis, & ætatis Davidis 72. ipsius mortem contigisse: ut sic rebus à Davide gestis, regnan-

nante iam Salomone, detur tempus, & locus: & licet ex sacro eloquio constet, Davidem trigésimo ætatis anno regnare cœpisse, & quadraginta annos regnasse, nusquam tamen Scriptura tradit Davidem 70. duntaxat annis vixisse: Josephus equidem *lib. 7. Antiquit.* duas illas Regni Davidici summas tantum colligit, non tamen inficiatur, Davidis vitam ulterius productam: porro Rabinorum dictum huic sententiæ contrarium in sua *Chronolog. cap. 16.* levis est ponderis, ut inquit P. Salius *an. Mund.* 3020. *num.* 6.

8 Notandum tertio, de annis Regni Salomonis duplex esse in Sacra Scriptura testimonium, absque vlla ambiguitate confirmatum nam *lib. 3. Reg. cap. 11. v. 42.* sic habetur: *Dies autem, quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt.* Idque ipsum habetur *lib. 2. Paralip. cap. 9. v. 30.* & sanè absque vlla varietate in omnibus Latinis, Græcis, Hebræicis, Chaldæicis Codicibus; quapropter Eupolemus, & Eusebius, omnes deinceps Chronologi ad vnum, eandem temporis rationem adamussim tradunt. Unici tamen Josephi, hic observanda infidelitas *lib. 8. Antiquit. cap. 2.* aientis sic: *Salomon autem iam admodum senex moritur exactis Regni annis octoginta, vita verò nonaginta quatuor,*

quomodo legerunt Theodoretus *quæst.* 37. in *lib. 3. Reg.* Procopius, & Comestor *lib. 3. Reg. cap. 27.* Et Zonaras *tom. 1. Annal.* at puduit tanti mendacij Rufinum in Josephi versione, & pro octaginta, quadraginta ipse substituit: Rufinus autem identidem Josephum corrigit, eiusque adeò inflectit sententiam, vt Josephi depravator censeatur à P. Petavio *de Rati. tempor. lib. 9. cap. 63.*

9 De periodo autem vitæ Salomonis, vti que ex Sacra Scriptura non adeò apertè constat; communis tamen sententia docet, sexagenarium obiisse, ita præter Liranum, & Illm. Abulensem, P. Pinèda *lib. 8. cap. 2. num. 6. Et cap. 4. fine.* Barad. *tom. 1. lib. 5. cap. 10.* Saliannus *ann. Mund. 3059. num. 2.* Torniiellus vero quatuor insuper annos ei concedit.

10 Adnotandum quartò, mortuo Salomone, Roboamum eius filium, Regnum iniisse, quod annis 17. tenuit *lib. 3. Reg. cap. 1. v. 1.* eoque anno, cum Roboamus iuvenilibus consilijs obsecutus Populum in sese concitasset, scisso Davidis Regno, partem eius Jeroboam, filius Nabat, obtinuit, quem designatum à Deo Regem per Prophetam Ahiam Salomon interficere voluerat. Hinc Israelis exortum est Regnum, & decem tribus constituerunt sibi Regem Jeroboam: solaque tribus Judà cum

Quadam præmit. de Davide, &c. Sec. 1. 103
Beniamin, adhefit Roboamo *lib. 3. Reg. cap. 12. v. 20.* vbi licèt dicatur: *Nec secutus est quisquam domum David* (nempe Roboamum eius nepotem) *præter tribum Judà solam*: non ideò excluditur tribus Beniamin, sed ipsius mentio non fit, quia parvula erat, & minima, *Reg. lib. 1. cap. 9.* ob stuprum quippè penè fuit excisa, & ad sexcentos viros redacta, *Judic. cap. 20. v. 35. & 47. & 48.* sic illa Saulis verba *lib. 1. Reg. capit. 9. v. 21.* exponunt Illustrif. Abulensis, Dion. Liranus, & Cornelius, qui addit ob præfatum crimen, eandem tribum valde fuisse diffamatam, & deformatam, ideoque visam fuisse Sauli principatu, & Regno Israelis indignam, æquè ac fuit Ruben, licèt primogenitus Jacobi.

11 Dici etiam potest ex sententia P. Salianni ad *ann. Mund. 3060. num. 29.* tribum Beniamin non statim secutam tribum Judà, sed nutasse aliquandiu: veritam tamen Judæ vicinitatem, cui perpetuò prædæ futura erat, & theatrum, in quo vtriusque Regis exercitus decertarent, ad Roboamum se contulisse. Alièr intelligi etiam potest iuxta Illustrif. Abulensem, tribum Judà vocari Regnum Judà, & tribum pro Regno accipi, quod tribum etiam Beniaminiam comprehendit, idque colligi potest ex eo quod eod. *cap. 12. v. 17. lib. 3.*

Reg. dicitur. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in Civitatibus Judæ regnavit Roboam.

12 Igitur Jeroboam secutæ sunt decem tantum tribus iuxta Verbum Dei, quod ipsi Jeroboamo prædixit Ahias Silonites, qui *Reg. lib. 3. cap. 11. v. 30. 31. & 32. apprehendens pallium suum novum, quo coopertus fuerat, scidit in duodecim partes, & ait ad Jeroboam: tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Isral: ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David, & Jerusalem Civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Israel.*

13 Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Judæa. Quadraginta, & unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset, septemdecim annis regnavit in Jerusalem, sic habetur *lib. 3. Reg. cap. 14. v. 21. eademque repetuntur lib. 2. Paralip. cap. 12. v. 14. vbi additur: fecit autem malum, & non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum.*

14 Post Roboam regnavit filius eius Abia *3. Reg. cap. 14. fine. Et lib. 2. Paralip. cap. 12. Ubi adnotandum venit quinto, quod lib. 2. Paralip. cap. 11. v. 20. Abia dicitur filius Roboam, & Maachâ filiæ Absalom: at cap. 13. v. 2. Mater Abiæ*

Abiæ nuncupatur Michaia filia Uriel de Gaba: quæ sibi contraria videntur. Respondet autem Cajetanus, Absalom fuisse binomium alioque nomine vocatum esse Uriel, fortè ob pulchritudinem, quod adeo esset pulcher, ut Angelus videretur, dicique posset Uriel, id est lux, & splendor Dei. Aut certè Absalom fuisse patrem naturalem Maachæ; Urielem verò eiusdem fuisse patrem legalem; quod tamen ex eo oppugnatur, quod nullus Davidis filius legatur vocatus Uriel, cui quasi fratri sine liberis defuncto Absalom prolem suscitare debuerit. P. Cornelius in *lib. 3. Reg. cap. 15. existimat, Maacham dici filiam, id est nepotem, Absalomis, more Scripturæ, quo nepotes vocantur filij.*

15 Attamen verissimilius videtur quod docet Div. Hieronymus *lib. 2. Paralip. Et Illustris. Abulensis quæst. 5. & 6. in cap. 13. lib. 2. Paralipom. scilicet, hunc Absalomem alium esse à filio Davidis Regis; nec stare potest, quod Josephus, Liranus, Cajetanus, Gaspar Sanchez, & Cornelius asserunt, nimirum Maacham esse eandem quæ Thamar, quam genuit Davidicus Absalom, ut contat *ex lib. 2. Reg. cap. 14. v. 27. eamque nupsisse Urieli, & propterea Maacham nuncupari filiam Absalom, quia eius fuit neptis. Id inquam**

quam videtur stare non posse; quoniam nullo sufficienti fundamento Maachæ tribuitur nomen Thamar; & aliunde, haud leve adest, asserendi fuisse duos, diversosque Absalomes; nam Maachà, seu Michaia fuit filia Uriel de Gabaa: vt dicitur *lib. 2. Paralip. cap. 11. v. 21.* qui Uriel non potuit esse Absalom filius Davidis, hic enim non de Gabaa, sed de Bethlehem dici debet, quæ fuit patria Davidis, vel de Hebron, in qua natus est *lib. 2. Reg. cap. 3. v. 2.* vel de Jerusalem, in qua habitavit, quæ omnes sunt in tribu Judà; at Uriel asseritur de Gabaa, quæ fuit Civitas tribus Benjamin, Saulis patria *lib. 1. Reg. cap. 11. v. 4.* vnde conficitur, quòd Abia fuit filius Maachæ filia Urielis, sive Absalonis, Beniamitæ. Huicque sententiæ adhæret P. Salianus *anno Mundi 3063. num. 10. 11. & 12.* Absalom autem idem est quòd Abessalon, vt animadvertunt Salian. & Cornel.

16 Igitur anno octavodecimo Regis Jeroboam *regnavit Abiam super Judam*, vt dicitur *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 1. Et lib. 2. Paralip. cap. 13.* & vtrobique asseritur, quòd *tribus annis regnavit in Jerusalem.* Oppones: *v. 9. sod. cap. 15. lib. 3. Reg.* Abia dicitur mortuus anno vigesimo Jeroboam, ergo non tribus, sed duobus tantum annis, regnavit; quoniam
ab

Quadam præmit. de Davide, & c. Sec. 1. 107
ab anno 18. ad 20. sunt tantum duo anni. Respondetur, numerandum hic esse annum 18. in quo nempe coepit Abiam, sive Abia regnare, vt constat ex præcitatæ locis, eumque esse primum huius Regis annum, secundum fuisse 19. tertiumque 20. Regni Jeroboam. Ita Illustrissim. Abulensis, Cajetanus, Cornelius, & Salianus.

17 Denique notandum, duplicem fuisse Abiam: primus fuit Rex Judæ, & filius Roboami, secundus autem fuit filius Jeroboami Regis Israel: de quo Abia fit mentio *lib. 3. Reg. cap. 14. v. 1. Et v. 17.* vbi puer mortuus dicitur, quin Regnum obtinuerit. Igitur Abiam Rex Judæ successorem in Regno Judæ habuit filium suum Afa, *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 8. & 2. Paralip. cap. 14. v. 1.* de quo Afa difficultas procedit, quæ sec. seq. proponitur.

SECTIO SECUNDA.

GRAVEM EXPENDIT DIFFICULTATEM
ex locis, in Dissertatione indicatis, procedentem,
circa annos Regni Afa.

I **S**ALEBROSAM equidem enodare aggredimur difficultatem exortam *ex lib. 2. Paralip. cap. 16. v. 1.* ibi enim dicitur: *Anno autem trigésimo sexto Regni eius* (sci-

108 *Sacra Chron. & Histor. dissert. sexta.*
(scilicet Afa) ascendit Baasa Rex Israel in Judam, & muro circumdabat Ramà, quod sacrum eloquium opponi videtur alteri, quod habetur 3. Reg. cap. 16. v. 8. ibi: Anno vigesimo sexto Afa Regis, regnavit Elà filius Baasa super Israel; unde confici videtur quod eo anno 26. Afa Regis Judà, & consequenter decenio ante 36. annum Regis Afa, mortuus erat Baasa: igitur textus lib. 2. Paral. affirmans, Baasam ascendisse anno 36. Afa contra Judam falsus est, si vera est historia lib. 3. Reg. cap. 16. v. 8. aut hæc est falsa, si ille verus est; qui enim fieri potuit, ut Baasa in Judam ascendisset anno 36. Regni Afa, ut dicitur in 2. Paralip. cum anno 26. Regis Afa mortuus iam fuisset Baasa, regnassetque filius eius Elà super Israel, ab anno scilicet 26. Regis Afa.

2 Augetur difficultas ex eo, quod dicitur 3. Reg. cap. 16. v. 23. nempè: Anno trigesimo primo Afa Regis Judà, regnavit Amri super Israel, duodecim annis: ex quo subducitur, quòd Amri regnavit anno 36. Afa Regis Judæ: non ergo eo anno regnavit Baasa super Israel, ut habetur 2. Paralip. cap. 16. v. 1. aut si regnavit Baasa eo anno, falsum est, quod refertur citato cap. 16. lib. 3. Reg.

3 Confirmatur secundò: quia mortuo Baasa, regnavit super Israel Elà filius eius, ut enim

Gravem exp. diffc. ex locis, &c. Sec. 2. 109
enim dicitur 3. Reg. cap. 16. v. 6. dormiuit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: & regnavit Elà filius eius pro eo: porro autem regnavit Elà filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis, & rebellavit contra eum servus suus Zambri Dux mediæ partis equitum: eratque Elà in Thersa bibens, & temulentus in domo Arsa Præfecti Thersa, irruensque Zambri percussit, & occidit eum, anno 27. Afa Regis Judà. Quæ omnia appertè describuntur citato cap. 16. lib. 3. Regum à v. 6. & deinceps. Tum sic: Elà regnare coepit post patrem suum Baasa anno 26. Afa, Reg. cap. 16. v. 20. sed idem Elà mortuus fuit anno 27. Afa Regis Judæ: impossibile ergo fuit, quòd Baasa opugnasset Judam anno 36. Regni Afa, ut in cap. 17. v. 2. Paralip. habetur.

SECTIO TERTIA. PRIMA REPELLITUR SOLUTIO.

I ALIQUI Scriptores succumbentes difficultati existimarunt, mendum irrepsisse in cap. 16. v. 2. Paralip. sicut & in caput 15. eiusdem libri, v. 19. & pro 36. anno legendum 26. & in cap. 15. pro 35. legendum 25. Sic docent Cajetanus in Commentario huius loci libri 2. Paralip. Joan-

Joannes Lucidus *lib. 2. de Emmendatione temporum, cap. 9.* Mag. Melchior Canus *lib. 12. de Locis, cap. 5. in solutione ad 12. argumentum.* Adrichomius *in Chronol.* Annius cum suo *Pseudophilone*, quos sequitur P. Turcelin. *in sua Chronol. cap. 5. quest. 9.*

2 Refellenda tamen omnimodis sententia ista. Primò, quia omnes Codices Hebraei, Graeci, & Latini in hac parte consentiunt; incredibile verò est, quòd mendum irrepserit in omnes codices; & quidem ipsi Authores sententiæ, quam oppugnamus, non dissententur, hunc omnium exemplarium consensum. Secundò, si mendum in Scriptura semel admittatur, vniversæ Scripturæ vacillabit autoritas; quis namque hæreticus non contendat, erroneum esse locum, quo vehementer se premi, sentiat? At nullum inquirunt, agnoscendum in Scriptura erratum in rebus magni momenti, vt quæ ad fidem, aut mores pertinent.

3 Sed tamen huiuscemodi evasio præcluditur ex verbis Christi Domini *Matth. cap. 5. v. 18. Jota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Deinde id evasionis ansam errandi præbet in pluribus rebus, cum enim non sit omnium idem iudicium, quod vni res minima, alijs magni momenti apparet: tum quia ex re quoad speciem parvula, res

ma-

maximæ pendent: videsis quæ *Dissert. 5. Sec. 1.* prælibavimus, ex quibus subducitur nihil falsum in Sacra Scriptura esse admittendum.

4 Tertiò, communis est sententia, eaque tenenda, editionem Vulgatam ex ipsius Interpretis, Interpretum vè ignorantia, aut incuria quoad nullum verbum falsam esse, sed potius erroribus, non tantum gravibus, pertinentibusque ad fidem, & mores, sed quibusvis alijs quantumvis levibus immunem esse. Ita P. Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 3. quest. 4.* Torres *de Fide, disp. 22. dub. 4.* Valencia *lib. 8. Analysis, cap. 5. & de Fid. d. 1. punct. 7. quest. 8. §. 42.* Exim. Doct. *de Fide, d. 5. sec. 3. num. 10.* Galarza *Episcopus Cauriens. l. 1. Evangelic. institutionum, cap. 4.* Corduba *1. part. questionariorum, quest. 17.* Ramos *in 4. dist. 42. quest. 2. art. 4.* Basilus *Legion. 1. part. Variarum, q. 4. expotiva cap. 10. §. Denique meo.* Gravina *Catholic. præscript. tom. 2. lib. 4. contr. 10. generali, & 1. speciali, art. 3. & alij, quos laudavimus tom. 1. Dissert. 3. Sec. 4. num. 10.* Et quidem licet aliqui Scriptores admittant leves aliquos defectus in Vulgata, id intelligendum reor de defectibus ex errore typographorum, aut amanuensium contingentibus.

5 Quartò, quia ad Providentiam Dei, &

cu-

curam de Ecclesia, spectat propter eius bonum non permittere, vt omnia exemplaria tam biblica, quàm non biblica, tam manuscripta, quàm typis excusa, & tam huius idiomatis, quàm cuiusvis alterius, sint vlibi mendosa, & erronea, vt docent præter relatos *tom. 1. dissert. 3. sec. 4. num. 5. D. Aug. lib. 11. contra Faustum, cap. 2. & 3. Et lib. 32. cap. 36. Casiodorus in lib. 4. Regum, cap. 15. P. Linæus, tract. 7. cap. 5. sine*, ac reliqui ferè DDs. Tumfic; sed in nostro textu *lib. 2. Paralip. cap. 16. v. 1.* omnia exemplaria, & omnes Codices Hebræi, Caldæi, Græci, ac Latini in præsentia adnotant Asæ annum 36. nullatenus ergo, mendum irrepisse, dici potest.

6 Quintò, qui legendum putant, anno 26. Regni Asæ, non se difficultate expediunt; quomodo enim 26. anno Asæ venit in Judam Baasa, ibique ædificavit Ramà, tantaque arte munivit, vt inde à Rege Judà expelli non posset, nisi missa in Syriam legatione, ad Benadab Regem Syriæ, ibique contracto exercitu, quo Asa in Regnum Israelis effusus multas eius vrbes vi cœpit, vt dicitur *2. Paralip. cap. 16.* vtque tandem cogeretur Baasa, relicta Rama, toto Regno periclitanti succurrere, quomodo, inquam, hæc omnia initio anni 26. Asæ, contingere potuerunt? Cum ne

to-

totum illum annum regnaverit Baasa; cum constet hunc ipsum annum 26. numerari primùm Regni filij eius, vt dicitur *3. Reg. cap. 16. v. 8.* Quam obrem, si mutandi essent numeri, rectius in 15. & 16. mutandi erant: id quod, præsertim notaverunt Illustris. Abul *quæst. 3. in cap. 16. lib. 2. Paralip.* Et P. Salian. *anno Mund. 3095. num. 3.*

SECTIO TERTIA.

IMPUGNATUR ALIA SOLUTIO.

1 PRÆCEDENTEM diluere difficultatem existimat Lyranus in *cap. 16. lib. 2. Paralip. initio*, illumque ferè sequuntur Vatablus *lib. 3. Reg. c. 16. num. 12.* Et Genebrardus, dicendo: annos Asæ dupliciter numerari posse, primò ex quo re vera regnare cœpit, secundò à memorabili bello Ætiopico, quod 10. vel 11. anno regni eius contigit: sicut anni Nabuchodonosoris aliquando à principio Regni eius numerantur; nonnunquam etiam à devictis circumquaque gentibus, quando factus est Monarcha; & sic *cap. 2. Prophetie Danielis*, dicitur Nabuchodonosoris annus secundus, nimirum Monarchiæ, qui erat annus Regni 25. Pariter ergo annus

H

præ-

prærens, seu de quo fit mentio in *lib. 2. Paralip. cap. 16.* erit trigessimus sextus regni Asæ; idemque 26. à bello Ætiopico; proptereaque stat etiam Chronologia, & numerus annorum Regni Asæ iuxta *librum 3. Reg. cap. 16.*

2 Oppugnatur tamen huiusmodi solutio, primò quia licet bellum Ætiopicum Josephus referat ad annum decimum regni Asæ, Hebræique in *Chronico maiori, cap. 16.* in annum 18. adscribere videantur, aiunt enim Zaràm Ætyopem 18. regni Asæ anno, ipsi omnem prædam Sefaci restituisse; vtrumque tamen falsum est, cum constet ex Scriptura, Zaràm cum suis Ætyopibus internecione deletos fuisse, quod non convenit cum spoliolum restitutione; sic enim habetur *2. Paralip. cap. 14. v. 13. Et persecutus est eos (nempè Ætyopes) Asa, & Populus qui cum eo erat usque Gerara: & ruorunt Ætiopes usque ad internecionem, quia Domino cadente contriti sunt, & exercitu illius preliante. Tulerunt ergò spolia multa, & percusserunt Civitates omnes per circuitum Gerara: reversique sunt in Jerusalem.* Deinde nullibi in Scriptura habetur, prædam à Sefac ablatam, ad Zaràm Ætyopem pervenisse.

3 Secundò, in *lib. 2. Paralip. cap. 15. v. 10.* asseritur, quòd Judæi anno 15. regni Asæ, ex præda Ætyopica Sacrificium Domino obtu-

lerunt, ibi: *Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asæ immolaverunt Domino in die illa de manubijs, & præda, scilicet Ætyopica.* Unde conficitur contra Hebræorum *Chronicon*, ante annum 18. regni Asa, victoriam de Ætyopibus partam à Rege Judæ. Secundò colligitur contra Lyranum, & ei subscribentes, non quidem anno 10. aut 11. Regis Asa, sed anno 15. vel fortè 14. exeunte, & 15. inchoante Ætyopicum bellum contigisse, vt animadvertit Torniiellus, vel saltè in initio anni 15. mensè scilicet tertio Iudæorum, qui nobis est quintus, vt existimat P. Salian. *anno Mund. 3094. num. 1.* Confirmatur, quia in præexarato textu *libri 2. Paralip. cap. 15.* factis appertè significatur, statim, ac Iudæi ex bello post partam victoriam reversi sunt in Jerusalem, nempè *in die illa*, eos obtulisse Deo sacrificia pro gratiarum actione: cum ergo id fuerit peractum anno regni Asa 15. vt in eodem textu habetur: dici non potest ad quinque annos à parta victoria de Ætyopibus protracta fuisse illa sacrificia. Tum quia secretina nimis illa fuisset gratiarum actio.

SECTIO QUARTA.

*ALIA FUNDAMENTA ADVERSUM
eandem sententiam.*

REPELLITUR quoque dicta sententia, quia ex ea turbatur omnis ferè dispositio annorum Regum Judà, & Israel. Probat, nam iuxta eam opinionem in *lib. Regum* ad numerum annorum Regni Afa addendi veniunt, vel sub intelligendi 10. alij anni: igitur cum *lib. 3. Regum, cap. 15. v. 33.* dicitur: *anno tertio Afa Regis Judà, regnavit Baasa filius Abia*: debemus intelligere, non anno 3. sed 13. ex quo Afa cœpit regnare, venisse Baasam: unde præterea subducitur quòd addendi etiam erunt Jeroboam alij decem anni, & consequentèr duos supra 30. annos regnasse Jeroboam, id quod repugnat Textui Sacro *lib. 3. Regum, cap. 14. v. 20.* ubi dicitur: *dies autem, quibus regnavit Jeroboam viginti duo anni sunt, & dormivit cum patribus suis.* Vel 12. anni addendi erunt Nadab filio Jeroboami, cum tamen ex Scriptura deducatur, Nadab duobus tantum annis regnasse: quia *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 25.* sic legitur: *Nadab verò filius Jeroboam regnavit super*

Alia fundamenta advers. &c. Sec. 4. 117
Israel anno secundo Afa Regis Judà, regnavitque super Israel duobus annis. Sic ibi; & cum in eodem capit. *v. 33.* dicatur anno tertio Afa Regis Judà, regnasse Baasa super Israel, oportet utique illos duos annos regni Nadab integros non fuisse: igitur nullo modo fieri potest, quòd Nadab filius Jeroboam regnaverit duodecim annos super Israel.

2 Iam verò legitimam esse consequentiam videlicet iuxta Lyranum sententiam, addendos esse illos decem annos, vel Jeroboamo, vel Nadab, probatur; nam si coniungantur anni Regni Israel post Salomonem usque ad primum annum Baasa, sive tertium Afa, Regis Judà, invenientur solum iuxta Scripturam 22. anni Jeroboam, Nadabi duo, & Baasa primus, qui omnes conficiunt 24. annos, & quidem non integros: quoniam vigesimus secundus Jeroboami fuit primus Nadabi, & secundus Afa, *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 25.* Anno autem tertio Afa, mortuus est Nadab, *lib. 3. Regum, cap. 15. v. 20.* & ut ibidem habetur, eodem anno regnavit Baasa super Israel.

3 Si verò fiat complexio annorum Regum Judà post Salomonem usque ad tertium annum Afa, qui 13. est iuxta Lyranum, invenientur anni 17. Roboam ex 3. *Reg. capit. 14. v. 21.* anni 3. Abia *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 2.* &

118. *Sacra Chron. & Histor. differt. sexta.*
tredecim Aſæ iuxta Lyranum, qui conficiunt
ſummam 33. annorum, à quibus ſi auferas
vnum annum ipſius Baafa, tunc incipientis
regnare, & alium annum ex non integris præ-
cedentium, fiet excedere ſummam iſtam pe-
nes 10. annos, Regum Iſraelis ſummam, con-
ſequenterque ſtare non poteſt Lyrani ſententia.
Quod ſi ad interponendos eos 10. annos,
meditetur quiſpiam interregnum decem an-
norum; diuinatoriam excogitabit ſolutionem,
ſacro Textui haud conſonam; cum nullibi
huiuſcè interregni fiat mentio, nec in libris
Regum, nec in Paralip.

4 Rurſus in *lib. 2. Paralip. cap. 15. fine*,
dicitur, bellum non fuiſſe inter Aſam, & Baafam
vſque ad 35. annum regni Aſa: ſublatis
ergo 10. annis, dicendum erit Baafam non
pugnauit cum Aſa, niſi 25. anno regni ipſius
Aſæ. Id verò non cohæret textui 3. *Reg. c. 15.*
ſ. 16. vbi aſſeritur, bellum fuiſſe inter Aſam,
& Baafam *cunctis diebus eorum*, adeoque non
vnico præciſè anno.

5 Idem aſſumptum fulcitè ex *lib. 3. Reg.*
cap. 16. v. 29. vbi aſſeritur; Acabum regnaſ-
ſe ſuper Iſraelem anno 38. Aſæ; ſi ergò in li-
bris Regum ſemper addendi ſunt 10. anni
præſertim in Aſa, fiet equidem, vt ipſe Aſa
non præciſè vnum, & 40. annos, ſed octo, &
qua-

Alia fundamenta aduerſ. &c. Sec. 4. 119
quadraginta, imo & quinquaginta, & vnum
regnauerit.

6 Duplex corollarium amplius inclareſcit
ex ſequentibus, primum quia Baafa ſolum reg-
nauit 24. annis *lib. 3. Reg. cap. 15. ſ. 23.* quibus ſi
addas præcedentes duos annos regni Aſæ, cu-
ius Regis anno tertio, coepit Baafa regnare, vt
habetur in præcitato textu, ſient 26. anni
regni Aſa in libris Regum, ſeu poſt bellum
Ætyopicum, quo ſcilicet Aſæ anno 26. mor-
tuus fuit Baafa, *lib. 3. Reg. cap. 16. ſ. 8.* id
eſt anno 36. Aſæ, ſi addantur anni 10. vt vult
Lira, & ab initio regni illius fiat computatio:
tum ſic, ſed vſque ad annum 35. Aſæ, non
fuit bellum inter ipſum, & Baafa, vt habetur
in *lib. 2. Paralip. cap. 15. fine*: igitur, cum
Baafa mortuus fuiſſet anno 36. Aſa, non niſi
ad annum vnum potuit eſſe bellum inter ipſos,
præſertim cum anno 26. Aſa, id eſt 36. iuxta
iuxta opinionem Liræ, regnauerit ſuper Iſ-
rael filius Baafæ Ela, vt dicitur *lib. 3. Regum,*
cap. 16. ſ. 29. Quomodo ergò verum erit, fuiſ-
ſe bellum inter Aſa, & Baafa omnibus diebus
eorum, vt conſtat ex 3. *Reg. cap. 15. v. 16.*

7 Secundum corollarium fulcitur quoque;
nam iuxta Lyranum in *lib. Regum*, quantum
attinet ad Regnum Aſæ, addendi ſunt 10. an-
ni: ergò cum in dicto *lib. 3. Regum, capit. 16.*

¶ 29. dicatur, Acabum regnasse anno trigesimo octavo Asæ, afferendum venit, & Asam utriusque regnasse 48. annos: deinde in *lib. 3. Regum, cap. 15. v. 1.* dicitur, regnavit Aia annis 41. ergò postquam regnavit Acab in Israel, regnavit etiam Asa super Judam tribus annis, quos si coniunxeris cum 48. fient anni vnus, & quinquaginta, id quod ostendendum erat; idemque esse falsum conficitur ex ipso *lib. 3. Reg. dist. cap. 15. & Paralip. lib. 2. capit. 16. v. 13.* vbi habetur Asam mortuum fuisse anno 41. regni sui, & consequenter nullo modo ipse pervenit ad 51. Conficitur pariter ex Lyre sententia, in *lib. Regum, & etiam in 2. Paralip.* addendos esse 10. annos in Regno Asæ, imò & in alijs successoribus eius, & consequenter turbam Sacram Chronologiam, Lyranumque evitata Charybidi incidere in Scyllam.

8 Nonnulli apud P. Cornelium *lib. 2. Paralip. cap. 36.* dixere annos 36. in *lib. Paralip. cap. 16.* esse vitæ Asæ, non regni; verum huic sententiæ obstat, quòd expressè in Sacro Textu dicatur, *anno autem trigesimo sexto regni.* non vitæ. Propterea igitur Illms. Abulensis diffidulcitatem agnosceus ait, aliam esse querendam solutionem, quam ipse, se nescire, fatetur.

SECTIO QUINTA.

SYNCERUM ESSE UTRUMQUE LOCUM
lib. 2. Paralipomenon, & 3. Regum,
ostendit, ac stabilit.

I **P**ROBABILIOR, & potior, tenendaque sententia, quæ negat, annos aliquos in *lib. Regum,* fuisse prætermisso; ideoque ait, 36. annos Asæ, de quibus in *lib. Paralip.* numerandos esse à divisione Regni Hebræorum, facta sub Roboamo, qui primus fuit Rex Judæ & reliquum Israel, id est decem tribus Regem sibi creavere Hierchoamum; tunc enim facta est nova Æta, ac multi annos computare cœperunt ab hoc insigni schismate; tunc quippè institutum est Regnum Judæ æquè, ac Regnum Israel. Unde etiam in Scriptura passim anni Regum Israel numerantur iuxta annos Regum Judæ, sibi conregnantium, propterea quæ computandi sunt prædicti 36. anni à morte Salomonis, à qua usque ad annum 16. regnantis Asæ anni 36. numerantur.

2 Ita docent P. Azor *tom. 1. Institutionum moral. lib. 6. cap. 55. quest. 3.* Chronicon Hebræorum *1. part. cap. 16.* Torniiellus in *5. etate, anno 75. PP. Saliar. anno Mundi 3095. num.*

122 *Sacra Chron. & Histor. dissert. sexta.*
num. 5. Gordonus ad caput 16. libri 3. Regum,
& 2. Paralip. cap. 16. Mariana *ibid.* Petavius
tom. 2. de Doctrina temporum, periodi Julianæ
anno 3661. Cornelius lib. 2. Paralip. cap. 16.

3 Hęc sententia maximè confirmatur, quia
nullam vim rebus, neque verbis affert; & ea
posita, temporum ratio, & distributio, quam
Scriptura exigit, rectissimè constat. Quoniam
à morte Salomonis, eius filius Roboam regna-
vit 17. annos, ut habetur lib. 2. Paralip. cap. 12.
v. 13. Deinde Abiam regnavit tres annos ex 2.
Paralip. cap. 13. v. 2. additisque 16. annis Asæ
regnantis, fiunt 36. anni à morte Salomonis,
sive ab initio Regni Iudæ, vsque ad 16. Asæ,
quos 36. annos quærimus, & invenimus in li-
bri 2. Paralip. quamobrem annus 36. Regni
Asæ, de quo in lib. 2. Paralipom. cap. 16. v. 1.
quando scilicet Baasa Rex Israel venit contra
Asam Regem Iudæ, erat annus 16. ipsius Re-
gis Iudæ.

4 Dices hi 36. anni vocantur non Regni
Iudæ, sed Regni Asæ: ergo non stat expositio
nostra. Respondetur, idem esse Regnum Asæ,
& Regnum Iudæ; quia Asa non habuit aliud
Regnum, quam Iudæ; quare dum computas
annos Regni Asæ, numeras etiam annos Regni
Iudæ; & quamvis particula eius in textu Para-
lip. possit referri ad personam Asæ, ut inci-
pien-

Sincerum esse utrumque, &c. Sec. 5. 123
pientis regnare, seu ita, ut præcisè significa-
ret annos, quos Asa regnavit in Iudæ; tamen
congruam habet significationem, si cuncta illa
verba Sacri Textus referantur ad initium Reg-
ni Iudæ, ut ex ipsis patet terminis, ac prop-
terea ita debent intelligi, prout subiecta exigit
materia; generalis quippè regula docet, verba
debere intelligi, secundum subiectam mate-
riam, & naturam actus, seu rei, de qua disse-
ratur.

5 Id quod perspicuè traditur in cap. Soli-
cite, 6. de Maiorit. & obedi. ubi Innocentius III.
exponens verba D. Petri Epist. 1. c. 2. v. 18. subiec-
ti estote omni humana creatura propter Deum. sive
Regi tanquam præcellenti, sive duobus tanquam
ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem
verò honorum, quæ verba nonnulli contra Ec-
clesiasticam Dignitatem, & præcellentiam de-
torquere nitebantur, ait Summus Pontifex: Ve-
rum si personam loquentis, & eorum, ad quos lo-
quebatur, ac vim locutionis diligentius attendis-
ses scribentis, non expressisses taliter intellec-
tum. Cum quo concinit ex Iure Civili textus in
Legg. Cum pater 77. §. Donationis, ff. de legatis 2.
Leg. Si uno, & ibi Bartholus, ff. locati. Lege fi-
nali, Cod. De non numerata pecunia. Everardus
in Topicis legalibus, loco 46. Mascardus de
Probationibus, conclusione 1131. num. 20. Me-
no-

124. *Sacra Chron. & Histor. dissert. sexta.*
nochius de *Præsumptionibus*, præsumpt. 104.
num. 28. Cardin. Tuschus, tom. 8. *litera V. conclus.* 95. Flores de Mena, *variarum quæst. lib. 2. quæst. 24. num. 33.* vbi docet quòd verba quamvis præcisa restringuntur secundùm subiectam materiam: *Sacra Rota decis. 398. num. 4.* apud *Farinacium part. 1. recentiorum.*

5 Id quod adeò verum est, vt, si opus sit, possint, ac debeant impropriari verba, vt materiæ convenient, §. *Nunc admonendi*, vbi *Glossa verbo, Dederit. Institutionum*, quibus *alienare, licet, vel non.* Deinde verba præcedentia declarant sequentia, & è converso. *Leg. Utrum, ff. de Petitione hæreditatis. Leg. Qui filiabus. in principio, ff. de Legatis 1.* Farinacius in *Præci criminali, part. 4. consilio 30. num. 115.* Cardin. Tuschus tom. 8. *litera V. conclus.* 144. num. 21. Augustinus Barbosa *Axiomate 222. num. 48.*

6 Tum insuper, absurdum in omni dispositione vitandum est, *cap. In Genesi. de Electione. Leg. Nam absurdum, ff. de Bonis libertorum.* Et generalia vniuersaliaque verba, vt absurdum vitetur, restringuntur. Card. Mantica, de *Coniecturis vltimarum voluntatum, lib. 2. titulo 13. numer. 8. & 9.* Castillo *Controv. lib. 5. part. 2. capit. 166. num. 9. & 10.* Imò impropriantur verba, & intelliguntur eo modo, quo possunt, vt ab-

Sincerum esse vtrumque, &c. Sec. 5. 125
absurdum vitetur, Gratianus *Disceptationum Forensium, tom. 5. cap. 834. num. 13.* Cardin. Tuschus *Præcticar. conclusion. lit. A. conclus. 66. num. 17.* Et ne absurdum sequatur, à regulis Iuris recedunt Iurisperiti, *Surdus consilio 236. num. 18.* Stephanus Gratian. vbi proxime.

7 Unde sic dissero: in *lib. 2. Paralip. cap. 16. initio*, cum dicitur *anno 36. regni eius*, subiecta materia exigit, vt de annis Regni Iudæ ea temporis periodus accipiatur, vt ex dictis *sec. præcedenti*, & *initio huius* conficitur; ipsaque verba textus eam recipiunt intelligentiam, nulla etiam improprietate adiecta; & ex antecedentibus in eodem *lib. Paralip. Et lib. 3. Regum* subducitur, ita esse intelligenda, secus autem de annis, quibus regnaverat Afa: imò, si de annis quibus Afa regno præfuit, acciperentur verba textus, plura colligerentur absurda, quæ *sec. præcedentib.* perpendimus: ergò ad ea vitanda absurda, vtque omnia rectè inter se cohæreant, dicendum equidem, 36. illos annos esse numerandos à morte Salomonis, seu ab initio Regni Iudæ, cui præerat Afa, ipsiusque Regnum erat; cui sententiæ novissimè subscribit P. Tirinus, *Commentario in lib. 2. Paralipom. cap. 15. fine.*

8 Constabilirique valet eadem expositio ex *Isaia capit. 7. vers. 13.* vbi Isaias alloquens Achaz

Achaz, dicebat: *Audite ergo domus David, & paulò ante eod. cap. 5. 2. Et nuntiaverunt domui David, dicentes requievit Syria super Ephraim.*

9 Sed oppones: durum videtur, & insolens, quòd vnius Regis anni numerentur, non ex quo is regnare cœpit, sed ab alio quopiam termino. Respondetur, id absurdum non esse, nec novum in Sacra Pagina, cum huiusmodi terminus, seu initium insigne quidpiam habet memorabile; nam vt P. Salius, ac Tornicillus adnotant, locis supra citatis, *lib. 2. Regum, cap. 15. v. 7.* dicitur Absalom 40. anno petiisse à Parente Davide commeatum, causa proficiscendi Hebronem, vt redderet vota sua; quæ postulatio contigit non 40. anno Regni Davidis, qui 40. tantum annis regnavit ex *lib. 3. Regum, cap. 2. & I. I.* à tempore autem, quo Absalom præfatam postulationem fecit, plures annos David regnavit, vt colligitur ex ipso *lib. 2. Reg. cap. 15. & sequent. vsque ad cap. 24. Et I. & 2. cap. lib. 3. Reg.* quamobrem trigessimus tantum annus Davidis tunc agebatur, vt Salius, & Tornicillus eo anno adnotant; sed erat annus quadragesimus à prima inunctione ipsius Davidis, per Samuelem facta, quæ totis 10. annis antecesserat, vt fuse ostendit P. Salius, *anno 3009. num. 4.* Initium verò alicuius Regni nota est temporis in primis memorabilis

vt inde Chronologia ducatur; eaque propter annus 36. Regni Judæ, cui Asa præerat, notatur dicto loco *lib. 2. Paralip. cap. 16. 5. 1.* sed idem annus erat 16. ex quo Asa regnare cœpit.

SACRA CRHONOLOGICA, DISSERTATIO SEPTIMA.

DE ANNIS REGNI FORAM REGIS JUDÆ.

Ad intelligentiam lib. 3. Reg. cap. 22. 5. 2. Et lib. 4. Reg. cap. 1. 5. 17. cap. 3. 5. 1. Et cap. 8. v. 16.

SECTIO PRIMA.

QUÆDAM PRÆLIMINARIA DE CHRONOLOGIA Regum Judæ, & Israel, ab Asa vsque ad Forum utrumque.

I **H** N Judæ igitur Asa regnavit annis quadraginta, & vno, vt legitur *lib. 3. Regum, cap. 15. 5. 10. Et lib. 2. Paralip. cap. 16.*

5. 13. post cuius Regis obitum, eius filius Josaphat Regnum Judæ obtinuit, anno scilicet quarto Achab Regis Israel, vt disertè constat ex *lib. 3. Reg. cap. 22. 5. 41.* Idem prætermis-

nota anni Achab, habetur *lib. 2. Paralip. cap. 17. v. 1. Et cap. 21. v. 31. & 32.* Regnavitque Josaphat annis viginti quinque, ut ex præcitatæ locis liquidum est.

2 Josaphato in Regno successit filius eius Joram, *lib. 3. Reg. cap. 21. v. 51.* ibi: *Dormitavitque Josaphat cum patribus suis... regnavitque Joram filius eius pro eo.* Idem stabilitur *lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 1.* ubi aditur, *v. 20. octo annis regnavit in Jerusalem.*

3 Et hæc quidem quoad Regnum Judæ; quoad Regnum verò Israel, constitutum ex decem tribubus, quæ relinquentes Roboamum, delegerunt sibi Regem Jeroboam, *lib. 4. Regum, cap. 12. v. 20.* ut prælibatum fuit *Differt. 6. Sect. 1. num. 12.* notandum, quod Jeroboam regnavit super Israel annis 22. ut colligitur ex *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 25.* ubi hæc habentur: *Nadab verò filius Jeroboam regnavit super Israel, anno secundo Asæ Regis Judæ:* hic verò annus secundus Regni Asæ est etiam vigesimus secundus Jeroboami, quoniam Roboam Rex Judæ annis 17. regnavit, *lib. 3. Reg. capit. 14. v. 21.* Abiam imperavit annis tribus, *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 1. & 9.* invicem compositis, & ostensum est, *Differt. 6. Sect. 1. num. 16.* adde ergo annos duos Regni Asæ, quando cœpit regnare Nadab filius Jeroboami, fientque anni 22. Regni Judæ, adde-

Quedam prælib. de Chronolog. & c. Sec. 1. 129
adeoque, & Regni Israel, sive Jeroboami, qui huic Regno simul dedit initium.

4 Nadab verò filius Jeroboam regnavit super Israel, anno secundo Asæ Regis Judæ, *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 25.* id est anno eodem vigesimo secundo Jeroboami; quoniam Roboam, qui eodem anno cum Jeroboamo regnare cœpit, *septemdecim annis regnavit in Jerusalem, lib. 3. Reg. cap. 14. v. 21.* Abiam, Roboami filius, *tribus annis regnavit in Jerusalem, lib. 3. Reg. cap. 15. v. 2.* quibus annis si addas duos, videlicet Asæ, fient viginti duo, eritque, hic annus vigesimus secundus Jeroboami secundus Asæ filij Abiæ, *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 9.* Porro Nadab regnavit in Israel annis duobus; cum enim initium ipsius Regni fuerit annus Asæ secundus, *interfecit illum Baasæ in anno tertio Asæ Regis Judæ, lib. 3. Reg. cap. 15. v. 28.* & quidem uterque, hic Nadabi regni annus fuit diminutus; nam initia prioris, ultimus patris eius annus sibi vendicat, extrema verò posterioris ad primum Baasæ pertinent, authoris cædis eius. Rem ipsam, & occasionem eius paucis explicat Scriptura *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 27.* *Insidiatus est autem ei Baasæ filius Abiæ, de domo Isachar, & percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philistinorum, siquidem Nadab, & omnis Israel obsidebant Gebbethon.*

5 Baasæ anno secundo, vt adnotat P. Sa-
lian. *anno Mund.* 3083. *num.* 1. quingentesi-
mus agebatur annus ex quo Israelitæ, duce
Josue, transgressi Jordanem, Chananitidem
invaserunt, quorum 440. ante fundatum Tem-
plum numerantur, reliqui 60. à Templi ini-
tiji effluerunt: adeoque est hic decimus Ju-
bilæus Mosaicus.

6 Nefarius autem, crudelisque tyrannus
Baasæ in Regnum intruditur, *cumque regnasset,*
(ait facer textus *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 29.*) *per-*
cussit omnem domum Jeroboam: non dimisit,
ne vnam quidem animam de semine eius, donec
deleret eum, iuxta verbum Domini, quod locu-
tus est in manu serui sui Abia Silonitis, propter
peccata Jeroboam, quæ peccaverat, & quibus
peccare fecerat Israel, & propter delictum, quo
irritaverat Dominum Deum Israel. Et quidem
ne dum idololatriam iniecit in suum Regnum
Jeroboam, sed & impurissimas Ægyptiorum
abominationes, quasi idololatriæ auctarium in-
trodixit. Eum ergo Scriptura semper deinceps,
quasi nequissimum, maximèque detestabilem,
& quasi petram scandali ducentos ipsos, &
amplius annos execratur.

7 Regnavit ergo Baasæ super omnem Is-
rael in Thersa viginti quatuor annis, *lib. 3.*
Reg. cap. 15. v. 33. & fecit malum coram Do-
mi-

Quedam prælib. de Chronol. &c. Sec. I. 131
trino, ambulavitque in via Jeroboam, & in
peccatis eius, quibus peccare fecit Israel, loco
proximè citato.

8 Deinde anno vigesimo sexto Asæ Regis
Judæ, regnavit Elà filius Baasæ super Israel in
Thersa duobus annis, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 8.*
sic verò vt filij primus annus fuerit vltimus pa-
tris; adeoque viginti quatuor Baasæ complec-
tantur tertium, & vigesimum sextum Asæ: Elà
quoque anni duo constant vigesimosesto, &
vigesimo septimo anno Asæ, quoniam vt ex
Scriptura constat *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 10.* Elà
à seruo suo Zambri occisus est anno vigesimo
septimo Asæ.

9 Cumque Zambri rebellasset contra Elàm,
illumque occidisset, regnavit pro eo, deleuitque
omnem domum Baasæ iuxta verbum Domini,
quod locutus fuerat ad Baasæ in manu Jehu
Propheta, propter universa peccata Baasæ, &
peccata Elà filij eius: regnavitque Zambri tan-
tùm septem diebus in Thersa, eodem nempe
anno vigesimo septimo Asæ Regis Judæ: quæ omnia
habentur *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 12. 13. 14. & 15.*

10 Mortuo Zambri, divisus est Populus
Israel in duas partes: media pars Populi se-
quebatur Thebni filium Gineth, vt constitue-
ret eum Regem; & media pars Amri. Præva-
luit autem Populus, qui erat cum Amri, Po-

pulo, qui sequebatur Thebni: mortuusque est Thebni, & regnavit Amri, anno videlicet trigesimo primo Asa Regis Judà, & imperavit duodecim annis, nempe sex in Thersa, alijs autem sex in Samaria, quam ipse ædificavit. Ita constat ex *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 21. 22. & 23.*

11 Verumtamen notare oportet, eodem *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 29.* dici quod *Achab filius Amri regnavit super Israel, anno trigesimo octavo Asa Regis Judà*; quapropter, dum eo *cap. 16. v. 23.* asseritur, *anno trigesimo primo Asa Regis Judà, regnavit Amri super Israel*, nō est intelligendum, tunc Amri regnare cœpisse, sed tunc pacificè Regnum obtinuisse, constat quippe ex eodem *cap. 16. v. 15.* quod Amri cœpit regnare super Israel anno vigesimo septimo Asa, quando Zambri, igne succendit se cum domo Regia: sed quia *scissum est incertum studia in contraria vulgus*, totis tribus annis cum extremo vigesimi septimi Asa, & initio trigesimi primi eiusdem, pro Israelis imperio Amri, & Thebni armis, castrisque certatum est, quousque tandem, regni æmulo de medio sublato, rerum potitus est Amri, pacificèque regnare cœpit, anno trigesimo primo Asa Regis Judà: sic docent Illustrif. Abulens. in *caput 16. lib. 3. Reg. quest. 14.* Vatablus, Cornelius, & alij hoc loco, Torriellus quoque *anno*
quin-

Quædam prælib. de Chronol. &c. Sec. I. 133
quinta Etatis 84. & Saliar. anno Mund. 3107.
num. 2. Et 3110. num. 1.

12 Cum igitur cœpisset regnare Amri anno 27. Asa, mortuusque fuerit, anno 38. eiusdem Regis Judà, vt dicitur *lib. 3. Regum, cap. 16. v. 29.* colligitur, illum duodecim annos regnare, etsi non integros, sex nimirum in Thersa, quæ erat Metropolis, & Regia Regum Israel, sed anno septimo Regni sui ex Thersa regiam transtulit in Samariam, quam ædificavit, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 23. 24.* causa translationis fuit, quod Zambri regiam in Thersam secum combussisset, moxque vrbs capta ab Amri spoliata, ac vastata fuisset, vt ex eodem *cap. 16. v. 18.* conficitur. Rursum quod Samaria ob montem, cui insidebat, munitior foret. Unde ipsa diu hostium, postea eam obsidentium, insultus sustinuit. Ita Saliarius, & Cornelius.

13 Obiter hic cum P. Cornelio perpendendum, vt Deus prolonget regna piorum Regum, abbreviet verò impiorum. Ecce tibi Asa pijsimus 41. annis regnavit in Jerusalem, quibus annis octo Reges successivè regnarunt in Israel, scilicet Jeroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Thebni, Amri, & Achab, de quo nunc.

14 Achab ergo filius Amri regnavit su-
 I 3 per

per Israel, anno trigesimo octavo Asæ Regis Judæ, vt asseritur *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 29.* Hic tamen Asæ annus duobus annis Israelitarum respondet, nempe vltimo Amri, & primo Achabi filij eius, sed in completis, priori parte patri, posteriore filio attributa, vt pater duodecim annis, filius autem viginti duobus, vt asserit Scriptura locis citatis, regnasse inueniatur, inde autem patet, adnotante P. Salliano, *anno Mund. 3117. num. 1.* quam fallantur, qui omnes Israelitarum Regum annos integros acceperunt, in quibus reperitur Eusebius; nam à secundo Asæ vsque ad trigessimum octavum, & Amri duodecimum, & vltimum, non triginta sex aut septem, sed quadraginta duos numerare coguntur, videlicet Jeroboam vnum, duos Nadabi, Baasæ viginquatuor, Elæ duos, Amri duodecim, Achabi vnum: vt ex prælibatis colligitur, obseruatque Sallianus loco præcitato.

15 Achab igitur regnavit annis viginti duobus; cœpit quippè regnare anno 38. Asæ Regis Judæ, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 29.* numeram igitur quatuor Asæ annos, ille enim regnavit ad quadraginta vnum, *lib. 3. Regum, cap. 15. v. 10.* & decem octo Josaphat, quo scilicet anno regnare cœpit Joram filius Achabi *lib. 3. Reg. cap. 3. v. 1.* sientque anni 22.

Reg-

Regni Achab: idem ostenditur quia Josaphat, Asæ filius, regnare cœpit super Judam anno quarto Achab Regis Israel, *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 41.* adde etiam decem octo annos Regni Josaphat, quando in Regno Israel successit Joram Achabi filius, & conficies summam annorum viginti duorum, vt in *lib. 3. Reg. c. 16. v. 29.*

16 Sed opponat quispiam; Ochozias, filius Achabi, regnavit in Israel ante fratrem suum Joram, duobusque annis regnavit, vt liquidum fit ex *lib. 3. Reg. cap. 22. vers. 52.* igitur Achab non viginti duobus, sed tantum viginti annis regnavit. Respondetur, Ochoziam regnare cœpisse, vivente patre, scilicet anno septimodecimo Josaphat Regis Judæ, vt disertè habetur *lib. 4. Reg. cap. 22. vers. 52.* cum autem decimus septimus Josaphati annus respondeat vigesimo primo Achabi, oportet vt Ochozias, eodem vigesimo primo regni patris, regnare cœperit; & cum duobus tantum annis regnaverit, eodem cum patre anno mortuum esse, necesse est, vt idem annus sit, tam patris, quam filij vltimus: ita tamen vt Ochozias aliquot mensibus patri fuerit superstes, ex *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 1.* ibi: *Prævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. Ceciditque Ochozias per cancellos coenaculi sui, quod habebat in Samaria, & egrotavit, missit-*

14

que

que nuntios, &c. Et in fine capituli, ipsius Ochoziaz mors ab Elia prædicta refertur: patet igitur, Ochoziam exiguo aliquo tempore post Achab parentem regnasse: cum igitur eodem *cap. 5. v. 17.* asseratur pro defuncto Ochozia regnasse Joram eius fratrem, & Joram regnaverit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat, *lib. 4. Reg. capit. 3. v. 1.* fit utique, Ochoziam duobus annis tantum regnasse, eodemque cum patre anno mortuum fuisse.

17 Proptereaque Joram patri simul, & fratri, in Regno successit; bienniumque Ochoziaz non auget Chronologiam Regum Israel: id quod appositè animadvertunt Tornellus, & Salianus *anno Mund. 3137. num. 27.* Voluit autem Achab secum regnare Ochoziam propter timorem ex Eliaz vaticinio, totius domus suæ interitum denuntiantis, conceptum: Hac tenusque de Regibus Israel, & Judæ usque ad Joram: ubi observata duplicem fuisse Joram Regem, alium Josaphati filium, qui post patris obitum regnavit in Judæa, *lib. 3. Regum, capit. 22. v. 51.* alium verò Achabi filium, & fratrem Ochoziaz, qui Joram regnavit super Israel in Samaria, *lib. 4. Regum, cap. 1. v. 17. Et cap. 3. v. 1.*

PRÆCIPUAM EXPENDIT DIFFICULTATEM: & Lyra rejicit solutionem.

1 CIRCA Jorami, Regis Judæ, tempus, haud exigue ardua enascitur difficultas ex *lib. 4. Regum, cap. 8. v. 16.* ubi sic legimus: *Anno quinto Joram filij Achab Regis Israel, & Josaphat Regis Judæ, regnavit Joram filius Josaphat Rex Judæ,* quæ verba salebrosa sunt, primò: quoniam Joram Rex Judæ regnavit post parentem suum Josaphat; sed Josaphat diem suum obivit vigesimo quinto anno Regni sui, id est anno septimo Jorami Regis Israel, & filij Achab: fieri ergo non potuit, quod Joram Rex Judæ regnaverit anno quinto Jorami Regis Israel: prima assumptio manifestè constat ex *lib. 3. Regum, cap. 22. v. 51.* ut Sect. 1. prælibatum est: nec minus certa est assumptio secunda, quoad primam partem, ex *præcit. cap. v. 42.*

2 Quoad secundam etiam ostenditur, quoniam Achab coepit regnare anno trigesimo octavo Asæ Regis Judæ, *lib. 3. Reg. capit. 16. v. 29.* regnavit autem viginti duobus annis, ut ibidem asseritur: hic verò annus Achabi vigesimus secundus fuit etiam decimus octavus Josaphati, quoniam anni quatuor regni Asæ,

& decem octo Josaphati constituunt 22. Regni Achab.

3 In eodem autem decimo octavo anno Josaphati, Joram filius Achab regnare coepit super Israel, vt ex *praecit. cap. 3. v. 1.* constat: At Josaphat regnavit annos viginti quinque: vt probatum est: igitur a tempore, quo coepit regnare Joram filius Achabi vsque ad Josaphati obitum, intercessere anni septem: quod erat ostendendum: vnde subducitur, Joramum Judæ Regem, & Josaphati filium coepisse regnare anno septimo Jorami filij Achab, adeoque non eiusdem anno quinto, vt dicitur *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.*

4 Quod si quispiam dixerit, cum Nicolao de Lira, quod Joram frater Ochozia rexit Regnum, dum Ochozias erat in ægitudine, quod Jorami munus, sicut & Ochozia ægitudine ad duos annos pervenit, vt colligitur ex *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 52. Et lib. 4. cap. 1. v. 1.* quapropter hi duo anni, inquit Lira, aliquando computantur in Regno Joram; aliquando autem in Regno Ochozia: ideoque quando dicitur *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* quod coepit regnare Joram filius Achab anno decimo octavo Regis Josaphat, computandi sunt in his annis illi duo priores, quibus Joram regnavit cum fratre suo Ochozia: hacque servata ratione tem-

temporis, complentur septem anni Regni Jorami filii Achab, in obitu Josaphat, & initio Regni Jorami Regis Judæ: verumtamen, prætermisissis illis duobus annis, quibus Joram munus regium obivit simul cum fratre Ochozia, restant solum anni quinque Regni Joram vsque ad supremum diem Josaphat, & ad inchoatum Regnum Jorami Judæi, & sic accipiendus locus *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* cui expositioni favent Historia Scholastica, & Cajetanus.

5 Si inquam sic præsentem elevare difficultatem conetur quispiam, instauratur prælibata argumentatio, quoniam non solum interfuere septem anni a tempore quo Ochozias simul cum patre Achab regnavit, vsque ad mortem Josaphat, & initium Jorami Regis Judæ, verum a mortuo Achab, & Ochozia septem anni numerandi veniunt: inefficax igitur est solutio. Antecedens probatur; quoniam Achab viginti duos annis regnavit, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 29.* cumque ipse regnare coepit anno trigesimo octavo Asæ Regis Judæ, vt eodem loco asseritur; & Asa regnaverit annis quadraginta, & vno, vt liquet ex *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 10.* sub ducitur Achabum peregrisse vitæ periodum anno decimo octavo Regni Josaphat, filij, & successoris Asæ; quia vsque ad hunc

hunc annum non complentur anni viginti duos Achab, etiam computatis annis quatuor regnantis Asa: proptereaque *lib. 4. Reg. capit. 3.* dicitur Joram, filium Achabi regnasse in Israel anno decimo octavo Josaphat Regis Judæ: à 18. autem usque ad 25. Josaphati sunt anni 7.

5 Refellitur quoque eadem expositio, quia ut supra prænotavimus, Ochozias, cœpit regnare anno decimo septimo Josaphat, duobusque tantum annis regnavit, *lib. 3. Regum, cap. 22. v. 52.* adeoque mortuus fuit anno decimo octavo Josaphat, à quo tempore usque ad annum vigesimum quintum Josaphat numerandi sunt anni septem; igitur Joram Judæus regnare cœpit anno septimo Joram Israelitæ, etiam si hic regis munus egisset cum Ochozia fratre suo: igitur ex Liræ doctrina non exponitur quomodo Joram in Judæa regnare cœperit anno quinto Jorami filij Achab.

SECTIO TERTIA.

*ALIAM REFERT, ET OPPUGNAT
solutionem.*

ALITER argumento ito obiam Magister Historiæ Scholasticæ, dicendo quòd Ochozias regnavit usque ad annum secundum Joram Regis Judæ,

tà, ideoque regis munus geisit quasi undecim annis, videlicet primis duobus annis integra valetudine, & solus, deinceps verò cum in ægritudinem incidisset, regnavit cum illo fratre eius Joram, toto quidem tempore reliquo Josaphat, & usque ad annum secundum Jorami Regis Judæ, & tunc extremum diem obiit Ochozias, cœpitque regnare solus Joram frater Ochoziæ, provt colligitur ex *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* unde quod asseritur *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* nempe, anno quinto Joram Regis Israel, regnare cœpisse Joramum Regem Judæ, intelligendum, inquit, de anno quinto, enumerando ab anno primo, quo Joram Israelita Regnum administrare cœpit pro fratre Ochozia.

2 Sed doctrina hæc reiicienda venit ex eo, quòd iuxta præfatam expositionem, solum enumerari queunt septem anni à principio gubernationis Regni Israel assumptæ à Joramio usque ad secundum annum post mortem Josaphat, duo nimirum defuncto Josaphat, & quinque post biennium, quo solus regnavit Ochozias; at verò ea temporis periodus, ex hypothese in solutione facta, fuit annorum novem, relictis quippe duobus annis Ochoziæ valetudine fruentis, & per se regnantis, subremanent novem anni, usque ad complen-

plendos vndecim, quos Ochozias dicitur regnasse vel solus, vel simul cum Joram.

3 Tum quia, si Joram filius Josaphat regnare cœpisset anno quinto gubernationis Jorami in Israel, cum ipse eam regiam administrationem novem annos habuerit iuxta dicta à Magistro Historiæ Scholasticæ, utique deficerent tunc quatuor subsecuti anni illius Regalis muneris; igitur quando Joram cœpit per se, & solus regnare in Israel, esset iam exactus annus quartus Jorami Regis Judæ; id quod falsum ostenditur ex *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* ubi mortuo Ochozia, dicitur: *Et regnavit Joram frater eius pro eo, anno secundo Josaphat Regis Judæ, non enim habebat filium, scilicet Ochozias.*

4 Denique hæc solutio supponit, asseritque Ochoziam regnasse per se, & solum annis duobus, quod falsum esse, ostensum est hac dissert. *Sec. 1. num. 16.* ubi stabilitum fuit, hæc occubuisse Ochoziam anno 22. parentis sui Achabi, id est anno 18. Josaphat, paucisque mensibus patri superstitem fuisse.



SECTIO QUARTA.

*DUPLICEM ALIAM INFRINGIT
solutionem.*

1 **I**llustrissimus Dominus D. Alphonfus Tostatus in *lib. 4. Regum, capit 8. quest. 29.* ut prælibatam elevet, elucidetque difficultatem, præsupponendum inquit, quòd Joram Rex Israel cœpit regnare per se, prius quàm regnaret Joram Rex Judæ per se; quia cœpit regnare, vivente Josaphat, *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* eo quòd frater suus Ochozias solum regnavit duobus annis; & quando dicitur ibidem, quòd anno decimo octavo Regni Josaphat, cœpit regnare Joram Rex Israel, intelligendum est, quòd ille annus decimus octavus erat iam completus, & magna pars decimi noni quasi totus. Et sic quasi in fine decimi noni anni Regni Josaphat regnare cœpit Joram; dicitur tamen in fine decimi octavi, quia non dum erat completus decimus nonus, & sic secundum veritatem manebunt solum sex anni vsque ad finem vigesimi quinti anni Regni Josaphat, scilicet annus vigesimus, & quinque sequentes; & tamen adhuc non manent sex anni integri: quia dicitur regnasse Josaphat viginti quinque annis non integris, sed vi-

viginti quatuor fuerunt integri, & sequens fuit inceptus: subtrahatur ergo ille quasi totus, & manebunt quinque anni consummati, & aliqui dies plus, vel menses, scilicet quasi à fine decimi noni vsque ad aliquantam partem parvam vigesimi quinti, & tunc verum erit, quòd à principio Regni Joram vsque ad mortem Josaphat, quando cœpit regnare Joram Rex Judæ fuerunt anni quinque completi, & aliquid plus, quod non facit annum; ideo non computatur pro anno, & sic stat litera ista, quòd anno quinto Joram Regis Israel cœpit regnare Joram Rex Judæ: Hæc Illustrissimus Dominus Tostatus; in cuius expositionem aliquatenus propendet P. Cornelius, non tamen ipsi adstipulatur.

2 Verumenimverò, salva debita observantia, honoreque erga præstantissimum hunc expositorem, Sapien tissimumque Magistrum, qui Maioris D. Bartholomæi Salmantini Collegij amplissimum est decus, nostræque Hispaniæ ornamentum mirabile, ne ipsius doctrinæ in præsentiarum adhærescam, facit primò, quòd vim haud exiguam inferre sacris eloquijs videatur, nam *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* asseritur quòd *Joram filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat Regis Judæ*: igitur, quanvis annus il-

le octavus decimus possit non computari, eo quòd in fine illius regnare cœpisset, debet saltem haberi ratio anni decimi noni eiusdem Josaphat in annis Regni Joram Israelitæ; at Illustrissimus Tostatus illum annum decimum nonum docet, non esse numerandum in periodo Regni Joram filij Achab; pugnat igitur cum Sacro Eloquio huiuscè præclarissimi Doct. expositio. Idque insuper confirmatur; quoniam Joram filius Josaphat non cœpit regnare anno decimo octavo Josaphat, sed initium regni illius contigit anno septimo decimo eiusdem Josaphat, vt nunc perpendam.

3 Secundo igitur oppugnatur eadem doctrina, quia in *lib. 3. Regum, capit. 22. v. 52.* habetur, quòd *Ochozias filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria anno septimo decimo Josaphat Regis Judæ; regnavitque super Israel duobus annis*: igitur cum vita functo Ochozia, regnare cœpisset eius frater Joram, necessum est dicere, Joramum regnasse anno decimo nono Josaphat; aliàs enim, asserendum esset, Ochoziam regnasse annis tribus, regnavit quippè anno decimo septimo Josaphat, vt Scriptura disertè edocet; deinceps etiam regnasset anno decimo octavo, & decimo nono eiusdem Josaphat, ex traditis ab Illustrissimo Abulensi: tri-

bus ergo annis regnasse Ochoziam, oporteret, cum tamen facer textus duos præcisè annos regnasse asserat: ex ipsa ergò Scriptura excinditur prælibata intelligentia.

4 Sed aliter forsan respondebis, nimirum, Joramum Josaphati filium vivente patre regnasse, quemadmodum & Ochozias cum parente suo Achab regno præfuit: regnante ergo Joramo in Judæa anno vigesimo tertio patris sui Josaphat, quam optimè stat, quòd anno quinto Jorami Israelitæ, in Judæa Regnum moderaretur Joram filius Josaphat, provt dicitur *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* quoniam Achab mortuus fuit anno decimo octavo Josaphat, vt ostensum est hac *differt. Sec. 1. num. 15.* à quò tempore vsque ad annum vigesimum tertium eiusdem Josaphat elapsi sunt quinque anni, vel si Achab vitam finierit, exeunte iam anno decimo octavo Josaphat; vel si ex parte anni decimi octavi, & parte alia vigesimi tertij compleatur annus vnus.

5 Hæc solutio profectò elevarer difficultatem, quam versamus; si incerto, imò & falso fundamento non inniteretur, quòd scilicet Joram filius Josaphat cum parente suo regnare cœperit anno vigesimo tertio eiusdem Josaphat; id quod Sacro Eloquio consonum non ostenditur, sed potius dissonum; quoniã Josaphat non

non eo anno vigesimo tertio, sed decimo septimo regni sui socium adiunxit sibi filium Joramum: evincitur ex *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* vbi dicitur: *regnavit Joram frater eius, Ochozias, pro eo, anno secundo Joram filij Josaphat Regis Judæ, non enim habebat filium.* Tum sic: Joram Israeliticus regnare cœpit mortuo Achab, anno decimo octavo Josaphat, vt exploratum est ex *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* igitur primus Jorami Israelitici annus respondet decimo octavo, saltem exeunti, Josaphati: adeoque necessum est, quòd Joram Judæus regnare cœperit anno decimo septimo Josaphat: & consequenter subducitur, non rectè dici, quòd Joram filius Josaphat cum parente regnare cœperit anno vigesimo tertio: porro autem, hoc fundamento disiecto, conficitur, quòd si initium regni Jorami Judæi cum parente Josaphato regnantis anno vno antèrius fuerit Regno Jorami Israelitici, nequit profectò assignari annus illius quintus pro initio Jorami Judæi vivo parente incipientis regnare; idque observavit P. Salius anno *Mundi 3137. num. 27. Et anno 3143. num. 1.*

SECTIO QUINTA.

POTIOREM DIFFICULTATIS TRADIT
enodationem.

I PRÆFERENDAM igitur nostri textus reor expositionem traditam à Richardo de S. Victore in *Concliatione lib. Reg. & Paralipom. Aria in Daniele*, Tornielo, anno 121. *quinta etat.* P. Saliario, anno *Mundi* 3143. *num. 1. & 2.* Cornelio, Serario, Sanchez in *lib. 4. Reg. cap. 8.* qui edocent, Joramum Josaphati filium bis vivo patre dictum esse Regem, primùm quidem anno Josaphati decimo septimo cum is ad bellum Syriacum cum Rege Israelis Achab profectus est *lib. 3. Reg. cap. 22.* qui Achab, etiam filium suum Ochoziam in Samaria regem se absente agere voluit, vt si quid mali in bello accidisset, ipsis in regnis suis succederent filij eorum, vterque scilicet Joram; ita vt proreges potius, quàm reges essent, vivente nimirùm vtriusque patre, & à neutro regni administratione deposita. In eo bello mortuus est Achab, & Ochozias solus verè, & propriè rex fuit in Israel.

2 In Regno autem Judæ à bello reversus

Jo-

Josaphat Regnum de more administrat, Joram autem filius eius quiescit. Quia tamen collata prius dignitas verbo sublata non fuit, propterea etiam secundus illius annus in Scriptura memoratur. Nam *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* dicitur Joram frater Ochoziæ regnasse pro eo, anno secundo Joram filij Josaphat, à quo anno, nēpè decimo octavo iam finiente Josaphat, vsque ad annum quintum Jorami Regis Israel, & vigesimum tertium Josaphati, fluxere anni quinque; hoc tamen eodem anno 23. cum Josaphat ageret ætatis suæ annum quinquagesimum octavum, Regnum quippè inivit, cum esset triginta quinque annorum, *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 41.* videtur totam regni curam in Joramum filium transfuisse, eumque iterato regem dixisse; idque testamento facto, vt edocet Tornielus anno 125. *quinta etat.*

3 In idque vt induceretur adfuit alia sufficiens ratio, nam suscepturus Josaphat eodem illo Regni sui anno 23. bellum formidolosissimum contra Ammonitas, Moabitas, & Idumæos, vt animadvertit P. Saliarius anno *Mundi* 3143. *num. 2.* veritus ne quid ei admodum iam senescenti humanitus contingeret, filium suum in omnem eventum iterum Regem dixit, idque probabilius videtur, quàm post absolutum bellum factum Regem, vt putant Hebræi

K 3

in

in Seder *cap. 17.* vnde hic annus non solum septimus erit Jorami Regis Judæ, sed etiam primus, & quidem primus potius quàm septimus, ac subinde, verum est quòd, *anno quinto Joram filij Achab Regis Israel, regnavit Joram filius Josaphat Rex Judæ*, vt asseritur in difficili nostro textu, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* si quidem Joram filius Achabi regnavit super Israel anno decimo octavo Josaphat Regis Judæ, vt habetur *lib. 4. Regum, cap. 3. v. 1.* sed quoniam ille annus decimus octavus erat iam penè exactus, ideo in numerum non refertur hoc loco *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* at verò annus decimus nonus Josaphat venit omnino computandus, cum quo vsque ad eiusdem 23. numerantur anni quinque Jorami filij Achab.

4 Illustratur eadem expositio, quoniam *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17. Et lib. 2. Paralip. capit. 21. v. 5.* dicitur, quod Joram Rex Judæ, *triginta duorum annorum erat cum regnare cepisset, & octo annis regnavit in Jerusalem:* deinde *cod. lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* asseritur quòd Joram Rex Judæ supremum egit vitæ diem anno duodecimo Joram filij Achab Regis Israel: sed initium illorum octo annorum Regni Joram Judæ Regis, à nullo alio tempore duci potest nisi à vigesimo tertio anno Josaphat

phat: igitur Joram filius Josaphat cœpit regnare anno vigesimo tertio parentis sui, hoc est anno quinto Jorami Regis Israel, filij Achab.

5 Probatur assumptio secunda, prima enim ex dictis aperta est; si octo illi anni Jorami Regis Judæ initium ducerent ab illo tempore, quo primum nuncupatus est Rex, scilicet anno decimo septimo patris sui Josaphat *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 52.* composito cum *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* equidem cum Josaphat regnaverit annis viginti quinque, *lib. 2. Paralip. cap. 20. v. 31.* in parentis obitu ageret Joram novem regni annos, & cum deinceps regnaverit vsque ad annum duodecimum Jorami Regis Israel, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* qui Joram filius Achabi, Rex Israel regnare cœpit anno decimo octavo penè exacto Josaphat, *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* fieret utique, quòd Joram Judæus post parentis mortem sex alios annos Regnum obtinuerit, quibus si addas novem Regni annos eiusdem, vitam ducente Josaphat, colliges quatuordecim annos regnantis Jorami filij Josaphat; cum tamen Sacra Pagina in *lib. 4. Reg. cap. 8. Et 2. Paralip. capit. 21.* octo annos tantum regnasse dicat.

6 Quòd si adimere velis finientem annum decimum septimum Josaphatj, initium scilicet

cet regni filij eius in Judæa, subremanent adhuc anni tredecim regnantis Jorami filij Josaphat, cum præcisè octo numerandi veniant: igitur quia octo anni Jorami Regis Judæ, non possunt initium ducere ab anno decimo septimo, sed à 23, Josaphati.

¶ 7 Id quod magis dilucidè ulterius stabilios: nam Joram filius Achabi regnare coepit anno decimo octavo Josaphat *lib. 4. Reg. c. 3. v. 1.* at cum ille octavus decimus annus Josaphat in Chronologia potius pertineat ad vigesimum Achabi, id est ad secundum Regni Ochoziæ, ut ostendimus hac *dissert. Sec. 1. num. 15.* Jorami regni in Israel periodi initium sumendum ab anno decimo nono Josaphat: Joram verò, filius Josaphat, discessit è vita anno duodecimo Regni Joram Israelitici, quo nempe anno regnare coepit Ochozias, ipsius Judæi Jorami filius, *lib. 4. Reg. capit. 8. v. 25.* deinde primus Jorami Israelitici annus erat secundus primæ regni nuncupationis Jorami Judæi, *lib. 3. Regum, cap. 22. v. 52. Et lib. 4. capit. 1. v. 17.* simul compositis: igitur Joram Judæus à prima sui in regem designatione, vsque ad sui obitum tredecim annos regnavit: & subinde si exordium Regni Joram filij Josaphat ducatur à primo anno, quo Josaphat eum regem nuncupavit, non præcisè oc-

Potiorè difficultat. tradit, &c. Sec. 5. 153
to annorum, sed tredecim erit, vel etiam quatuordecim, si finientem annum decimum septimum Josaphat in numerum redigamus.

8 Præterea nec octo illi anni Regni Jorami filij Josaphat initium habuere eo anno, quo solus mortuo patre regnavit, *lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 1.* quoniam cum Joram filius Achabi, regnare coepisset, anno Josaphat decimo octavo finiente, *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* & deinceps Josaphat regnavit vsque ad vigesimum quintum imperij sui annum, ut sæpè ostendimus, profectò ab obitu Josaphat, vsque ad mortem filij Jorami, quæ evenit anno duodecimo Jorami filij Achab, sex anni duntaxat remanent, quibus regnare posset Joram, totidem quippe anni elapsi sunt à morte Josaphati, vsque ad duodecesimum Regni Jorami filij Achabi annum: cum sex priores annos regnavit idem filius Achabi vivente Josaphat, à decimo nono videlicet vsque ad vigesimum quintum eiusdem regni annum.

9 Conficitur ergo perspicuum, non posse octo annos Jorami filij Josaphat initium ducere nec ab eo anno, quo primùm Rex vocatus fuit, nec ab obitu parentis sui: igitur quia vnicè computandi ab anno vigesimo tertio Regni Josaphat, qui fuit quintus Jorami filij Achabi, & Regis Israel in Samaria: &

iuxta hanc temporis rationem liquet, vt intelligendum veniat, quod in præcipuo nostro, ac sanè difficili textu *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* asseritur, nempè, *Anno quinto Joram filij Achab Regis Israel, regnavit Joram filius Josaphat Rex Judæ.*

10 Sed opponat quispiam: expositio à nobis tradita supponit, Joramum filium Josaphat occubuisse anno duodecimo Jorami filij Achab; sed non anno duodecimo, sed vndecimo eiusdem Jorami Israelitici cesit è vita Joram Judæus: igitur falso nititur fundamento nostra sententia: Assumptio secunda, quæ probatione indiget, ostenditur ex *lib. 4. Reg. cap. 9. v. 29.* vbi dicitur: *Anno vndecimo Joram filij Achab, regnavit Ochozias super Judam:* Ochozias autem iste erat filius Jorami Judæi, & regnavit post patrem suum, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 24.* anno igitur vndecimo Jorami filij Achab, vltimum diem obiit Joram Judæus.

11 Respondetur: verum quidem esse id quod expositio nostra supponit, nimirum Joramum Josaphati filium regnasse vsque ad annum duodecimum Jorami filij Achab: quoniam eo billo anno regnare cœpit illius filius Ochozias, vt disertè legitur *lib. 4. Regum, capit. 8. v. 25.* ibi: *Anno duodecimo Joram filij Achab,*

Potioem difficultat. tradit, &c. Sec. 5. 155
Achab, Regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram Regis Judæ: idemque habetur *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 1.* Nec contrarium evincitur ex *lib. 4. Regum, cap. 9. v. 29.* qui loci in eoncentum adducuntur ex eo, quod eo anno vndecimo Jorami filij Achab, videns Joram filius Josaphat, se atrocissimo vexatum morbo, qui omnem curationem, aut levationem respueret, iuxta ea quæ traduntur *lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 18. & 19.* provt ei prædixerat Elias. *ead. cap. 21. v. 12. & sequentiibus:* proptereaque se in dies deficere, nec Republicæ negotijs vacare posse, Ochoziam vnicum sibi filium, divinitus relictum propter David, cui fiebat hæc gratia, *lib. 4. Reg. capit. 8. v. 19.* Regem declarat & successorem; ideoque regnavit Ochozias cum patre Joram, qui iacebat in tormentis; idque significatur *lib. 4. Reg. cap. 9. v. 29.* sequenti autem anno scilicet duodecimo Jorami filij Achab, & octavo Jorami filij Josaphat, mortuo patre regnavit Ochozias, vt asseritur *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* sic docent Illustriss. Abulensis, P. Gaspar Sanchez, Cornelius, Salius, & alij.

12 Ubi ad notandum, quod licet Ochozias duos annos regnaverit ex quo vivo Joram, ab ipso successor, & Rex nuncupatus fuit, tamen hoc Regni Ochoziæ tempus non au-

auget Chronologiam Regum Judæ; quoniam anno primo, scilicet Jorami filij Achab vndecimo, regnavit Ochozias vitam perducente, quamvis agrotante patre suo Joramo, filio Josaphati: qui Joramus Judæ Rex supremum egit vitæ diem anno duodecimo Jorami filij Achab, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* consequenterque nec secundus annus, quo Ochozias regnavit fuitque duodecimus Jorami Isrelitici, cadit extra Regnum parentis sui, cui tribuuntur octo anni imperij *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17.* vt supra prælibatum est, complenturque hi octo anni duodecimo anno Jorami filij Achab: qui annus duodecimus fuit vltimus eiusdem Jorami Regis Israel, *lib. 4. Reg. capit. 3. v. 1.* adeoque posterior anni pars, qua mortuo patre regnavit Ochozias in vltimo patris anno comprehenditur, sic observat P. Salianus *anno Mundi 3160. num. 2.* accinitque Cornelius *initio comment. lib. 3. Reg.*

13 Adnotandum insuper, Ochoziam Jorami Judæ Regis filium in plerisque locis sic nuncupari, vt in præcitatæ cernere est; ab Hebraizandibus autem, mutatis punctis, Achaizias appellatur, & aliquando dicitur Joachaz inversè vtrique, vt animadvertit P. Cornelius, ibidem in *lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 17.* Et eodem *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 1.* nominatur Ochozias, vt in libris Regum.

DIS-

SACRA CRHONOLOGICA,

DISSERTATIO OCTAVA.

DE ANNIS VITÆ OCHOZIÆ REGIS Judæ.

*Ad intelligentiam lib. 4. Reg. cap. 8. v. 26. Et
lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2.*

SECTIO PRIMA.

EXPENDIT DIFFICULTATEM.

I



CCURRIT in præsentiarum gravissima, celeberrimaque difficultas circa Ochoziæ Judæ Regis ætatem, dum regnare coepit, statim à Jorami patris obitu, quæ præclara Doctorum ingenia sæpè, & vehementer exercuit: suboritur illa ex duobus Scripturæ locis, quæ sibi adversari videntur; nam *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 26.* sic habetur: *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare coepisset, & vno anno regnavit in Jerusalem:* eundem numerum viginti duorum annorum habent Hebræi Codices, & Chaldæus Paraphrastes, & Septuaginta Regia, Complutensis Sixti, & pæssim

OM-

omania. Caterum in *lib. Paralip. 2. capit. 22. v. 1. & 2.* sic legitur. *Constituerunt autem habitatores Ierusalem Ochoziam filium eius minimum, Jorami videlicet filij Josaphat, regem pro eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra: regnavitque Ochozias filius Joram Regis Juda. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cepisset, & vno anno regnavit in Ierusalem: ipsumque quadraginta duorum annorum numerum eo loci habent Hebraei Codices, Septuaginta Regia, & Complutensis.*

2 Perspicua est horum textuum apparens oppositio, eosque in concentum adducendi salebrosa, ac difficultatis vepribus obsita via, & quadantenus inexplicabilis apparet Doctori Maximo D. Hieronimo in *lib. 2. Paralipom. cap. 22.* sicut & P. Cornelio, & alijs.

SECTIO SECUNDA.

PRIMA SOLUTIO OPPUGNATUR.

I NGENTI praelibatae difficultati fortasse ibit quispiam obviam, dicendo, quod Ochozias regnavit aliquo tempore cum patre suo, & aliquo tempore post

post mortem patris sui; aetas igitur Ochoziae in priori tempore erat viginti duorum annorum quando coepit regnare; quando vero post obitum patris sui coepit regnare, erat annorum quadraginta duorum, vt dicitur in *lib. 2. Paralip. cap. 22.* sic enim contigit Ochoziae parenti Joram, qui cum patre suo Josaphat regnavit pluribus annis, ac deinceps, mortuo Josaphat, Joram diu Regnum obtinuit, vt *dissertatione sept. fuse ostensum est.*

2 Huic tamen expositioni occluditur aditus, quia in vtroque praecitato textu sermo est de Regno, quod Ochozias inivit post patris sui obitum: primo quia in ipso *lib. 4. Reg. capit. 8. v. 24.* dicitur: *Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David, & regnavit Ochozias filius eius pro eo, Et v. 25. anno duodecimo Joram filij Achab Regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram Regis Juda: Et v. 26. viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cepisset, & vno anno regnavit in Ierusalem: Ochoziae igitur aetas quando post sui patris obitum, Regnum moderari coepit, erat vtique annorum viginti duorum.*

3 Secundo, quoniam cum eodem loco asseratur, quod Ochozias vno anno regnavit, necesse est, intelligi de Regno, quod obtinuit

nuit mortuo patre suo; nam periodus Regni, quod habuit simul cum patre, vt in solutione, quam reijcimus, profertur, fuit annorum viginti, quia dicitur Ochozias fuisse annorum viginti duorum, quando Rex nuncupatus fuit vivente patre, & quadraginta duorum quando cœpit solus regnare, id est post obitum patris.

4 Tertiò excinditur ea expositio, quia sicut in *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 26.* asseritur, quòd Ochozias erat viginti duorum annorum quando cœpit regnare, & vno anno regnavit in Jerusalem, ita in *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2.* dicitur, quòd regnavit vno anno, & quòd erat quadraginta duorum annorum, quando regnare cœpit: ergo utrobique sermo est de eodem tempore Regni.

5 Quartò liquidum fit, præfatam expositionem subsistere non posse, quia Ochozias nequivit regnare cum parente suo Joram, nisi eo tempore, quo ipse Regnum obtinuit; at Joram filius Josaphat præcisè regnavit octo annos, vt exploratum est ex *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17.* cum illo igitur viginti annos regnare non potuit.

6 Quintò ab absurdo institui potest argumentatio, quoniam si Ochozias cum patre regnasset annos viginti, vtique filius senior

nior esset patre penes duos annos, quod omnimodis contradictionem implicat. Sequela patet, quia Joram pater Ochoziæ erat annorum triginta duorum, quando cœpit regnare, octoque tantum annos regnavit, vt apertè asseritur *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17.* igitur quando cœsit è vita Joram, annum agebat quadragesimum: sed iuxta prælibatæ solutionis hypothesis, quando Ochozias Jorami filius cum patre regnare cœpit, erat annorum viginti duorum, ac deinceps cum patre viginti annos regia munia gessit, igitur quando Joram occubuit, Ochozias eius filius annum agebat secundum supra quadragesimum, hoc est, filius duobus annis senior erat patre.

SECTIO TERTIA:
SECUNDAM REFELLIT SOLUTIONEM;

Et Vulgata lectio propugnatur.

SECUNDA præsentis difficultatis enodatio eorum est, qui existimant, irrepsisse mendam in locum *lib. 2. Paralip. cap. 22.* Et pro *quadraginta duorum annorum erat Ochozias*, substituendum esse, *viginti duorum annorum*, &c. Idque colligunt primò, quia licet in Vulgata lectione

habeatur *quadraginta duorum*, tamen Septuaginta, iuxta editionem Romanam correctam, inquirunt, *viginti annorum erat Ochozias*, &c. & in *Scholio* eiusdem *capitis*, notatur, alios Codices habere *viginti duorum*.

2 Secundò, quoniam in Hebræo fonte facillè pro *Efrim*, id est *viginti*, irrepsisse potuit *Arabaim*, id est *quadraginta*: faciliusque in ciphris error irrepere potuit, & pro *CaphBeth*, id est viginti duo, positum *MemBeth*, id est *quadraginta duo*, quæ notæ absimiles non sunt, ut animadvertit P. Mariana, subdit tamen, quòd si quis melius invenerit, id sequatur.

3 Tertio, etsi omnes Codices Hebræi, & Latini in dicto loco *lib. Paralip.* habeant *quadraginta duorum*, argumenta tamen cogunt, ut pro *quadraginta duorum*, reponatur *viginti duorum*; nulla enim alia solutio solida apparet.

4 Quarto, nec Interpretes, inquit Pat. Cornelius, sed ipsa Sacra Scriptura corrigit se ipsam à descriptoribus vitiatam, scilicet *Liber Regum* corrigit *Librum Paralipomenon* in annis iam dictis, descriptorum vitio corruptis.

5 Quintò: plura in editione Vulgata à Romanis correctata sunt, & plura corrigi possent, ut ipsi correctores in *prefatione* fatentur, atque

Secundam refellit solution. &c. Sec. 3: 163
que error in numeris facillè contingit, nec spectat ad fidem, & bonos mores.

6 Sextò: multi Interpretes demunt Cainan à serie generationum in Genealogia Christi post Noè, & inter Sale, & Arphaxad; cum tamen eum, nempe Cainan, constantè habeant omnia exemplaria Græca, Latina, Syra, Arabica, &c. *Lucæ cap. 3. v. 36.*

7 Septimò, hoc loco *lib. 2. Paralip. cap. 22.* Syrus habet *viginti duorum erat Ochozias*. Sic quoque habet Arabicus uterque, scilicet Antiochenus, sive montis Sinai, & Alexandrinus, sive Copticus, ut ex asseveratione Illustrissimi Domini Sergij Risij Maronitæ Archiepiscopi Damasceni, tradit Pat. Cornelius. Sic igitur corrigendum esse locum *lib. Paralipom.* existimant in præsentiarum Cajetanus, Card. Bellarminus in manuscripta Concordia annorum Regum Israel, & Judæ, quam apud se habuisse testatur P. Cornelius: accinunt P. Mariana, etsi dubitantè, Torniellus, anno 157. *quinta Etatis, & Mund. 3108.* P. Turcel. *capit. 5. Chronol. quest. 15.* Cornelius *lib. 2. Paralipom. cap. 22. v. 2.* Salianus, anno *Mund. 3150. numer. 11.* Tirinus *lib. 2. Paralip. cap. 22.* Scalliger, & Capellus.

8 Hæc tamen sententia oppugnanda venit primò, quia omnes Codices Hebræi, & La-

tini, tum Septuaginta, & alij, vt initio huius sectionis prælibavi, habent in lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2. quadraginta duorum annorum erat Ochozias, &c. multoque plures sunt Interpretes, & Doctores, qui ea verba retinenda esse, edocent, vt infra constabit.

9 Secundò, quia hæc eadem lectio habetur in Vulgata post accuratissimam illius correctionem, iussu Sixti V. & Clementis VIII. confectam, ab hac verò lectione minimè recedendum, præsertim ex Decreto Tridentinæ Synodi sess. 4. tum ex magni momenti argumento, quod movit Concilium ad id decernendum, videlicet, longo seculorum vsu, hoc est per mille ferè annos, etiam ante Tridentinum, editionem istam probatam esse à tota Ecclesia, & subinde fieri non posse, vt ea non sit legitima, & vera Scripturæ versio. Tertiò eadem lectio in nostro textu vltierus accipit robur ex consensu cum Hebræa lectione. Quarto quia summis laboribus, & vigilijs Latinus Vulgatus textus restitutus est pristinae suæ integritati, & quam accuratissimè mendis expurgatus, vt inquit Clemens VIII. in Bulla initio Bibliorum adhibita.

10 Idem constabit declaratio Eminentissimorum Cardinalium Sacræ Congregationis Tridentinæ Synodi, in qua præscribitur, nec sola

lam periodum, solam elausulam, vel solam dictionem, aut syllabam, Jota vè unum admitti posse, quod repugnet huic Vulgata editioni Latine, quæ declaratio adducitur ab Exim. Doct. Tract. de Fide, disp. 5. sect. 3. num. 10. Petro Vincentio de Marcella in dicta sess. 4. Trident. & alijs gravibus Doctoribus: videlicet, quæ de inviolabili autoritate Vulgata editionis tradidi rom. 1. dissert. 1. sect. 5. & 31. à num. 8. dissert. 3. sec. 4. num. 4. & seqq.

SECTIO QUARTA.

INEFFICACIA ESSE ARGUMENTA ostendit, quæ in Vulgata editione irrepissè mendum, suadent.

I ARGUMENTA autem, seu potius coniecturæ, quæ ad corrigendum locum lib. 2. Paralipom. cap. 22. v. 2. adducuntur, elevantur non difficulter: primum, quoniam licet apud aliqua exemplaria non Vulgatae Lectionis, seu Græca, aut Syra reperire sit, quòd viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare coepisset; id haud sufficiens est argumentum, asserendi in Vulgata mendum inveniri, cum tanto maioris ponderis sit hæc nostra Vulgata.

Tum quia, & in Septuaginta Regijs, & Complut. sicut & in Hebræo, legitur sicut in Vulgata, eodem loco *lib. Paralip.* Et hinc 2. & 3. ratio labascunt.

2 Nec maioris momenti est ratio quarta, videlicet, Sacram Scripturam se ipsam corrigere, nempe librum *Paralipomenon* in annis prædictis, descriptorum vitio corruptum, corrigi à libro *Regum*; id enim non elevat difficultatem, nec ilibatam veritatem Sacri Textus satis propugnat; siquidem iam admittitur error in aliquo Scripturæ loco, & probato quidem in omnibus exemplibus editionis Vulgatæ.

3 Nec quinta coniectura potior est; quia in Præfatione Bibliorum non dicitur quòd possent alia corrigi; *sed quòd in hac pervulgata lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt; tum quia ita faciendum esse ad offensionem Populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit: tum quia facile fieri posse credendum est, ut maiores nostri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendantiorum librorum habuerint, quàm ij, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortasse eam tam longo tempore identidem describendo, minus puri, atque integri evaserunt.*

Sic

4 Sic Romani correctores, in quorum verbis nota, non esse idem, quòd alia mutanda viderentur, & quòd verè mutanda sint, aut essent, vel quòd absolutè corrigi possent: primum asseritur ea in præfatione, non verò secundum. Videbantur igitur aliqua mutanda ex rationibus dubitandi circa descriptionem eorum verborum, sed tamen immutata relicta sunt, tum propter specifica motiva illa sic scribendi, & legendi, tum propter emendatiorum librorum copiam, qui ad maiores nostros pervenerunt. Quod verò dicebatur, in numeris facile contingere errorem, levioris est armaturæ, præsertim, quia licet in ciphris ita contingere valeat, secus autem quando verba integra describuntur, ut in nostra hypothesi evenit.

5 Sexta ratio opposita ingentem utique attingit difficultatem, videlicet utrum generatio Cainan admittenda potius? an reicienda? de quo differui *to. 1. dis. 1. sec. 8. Et sec. 13. à n. 2.* & præsupposito nunc, quòd ea generatio verè præcesserit, ut locis præcitatis propugnatum est. Paritas non vrget, quia in *lib. Genesis* licet omittatur generatio Cainan, nihil tamen ipsius existentie, aut præteritioni contrarium asseritur; iuste enim silentij, & omissionis causæ esse potuerunt; quapropter Moy-

L 4

sem

sem dedita opera hanc generationem transfiliisse, aiunt Salmer, Delrius, & Salian. qui nempe statuerat Moyses à Noè ad Abrahamum decem generationum gradus duntaxat recensere, sicut fuerant decem ab Adamo usque ad Noè. Idem censuit Iosephus *lib. 1. Antiquitatum, capit. 6, sine* ad stipulantur alij vetustissimi Hebræorum, Vel etiam ob causam nobis ignotam licet iustam, Cainan prætermisus fuit à Moyse, quemadmodum D. Mathæus tres Tessera decades complexurus in Genealogia Christi Domini in secunda Tessera decade tres prætermisit generationes; nam *cap. 1. v. 8. inquit Joram genuit Oziam; & tamen filius Joram fuit Ochozias 4. Regum 8, v. 24. filius Ochoziæ Joas 4. Regum 11. v. 2. filius Joasi Amasias, 4. Reg. 12. sine Amasias filius denique fuit Ozias, alio nomine Azarias, 4. Reg. 14. v. 21.*

6 Sic etiam Joannes Evangelista in *Apo-calypt.* ex tribus Israeliticis duodenario numero contentis, tribum Dan prætermisit, non oblivione utique, sed certo mysterio: consimiliter ergo Moyses potuit omittere Cainan; ideoque erratum nullum ex eo deducitur. Cæterum si in *lib. Paralip.* legendum esset *viginti duorum annorum* pro *quadragesima duorum*, erratum fuisset eo loci, consequenterque

que id non est admittendum, unde non tenet paritas, qua utitur P. Cornelius; quoniam in *lib. Genes.* etsi omittatur generatio Cainan; nihil tamen ipsius præteritioni contrarium asseritur in Sacro Textu; possunt quippe silentij, & omissionis iustæ causæ adesse.

7 Igitur Moysen dedita opera, sed iusta ratione, Cainan generationem transfiliisse, existimant PP. Delrio, Salmeron *tras. 28. versus finem*, Salianus *anno Mundi 1694. num. 7. & in scholio 2. ad eundem annum.*

8 At non est par ratio, inquit Capellus, Mathæi omittentis tres generationes, & Moyses unam prætermittentis. Imò verò inquam maior; nam si tres iusta de causa omittuntur, cur non una? Mathæus compingit tres Tessera decades, Moyses autem mysterio decades duas, quas tute fatetur Capellus, à Iosepho, & Beroso observatas: potiori igitur iure asserendum à Moyse Cainani generationem prætermisam. Ex quibus conficitur vulgatum textum in *lib. Paralip. cap. 22. v. 2.* minimè esse corrigendum. Nunc autem ad aliam perpendendam solutionem gradum facio.



SECTIO QUINTA.

*SECUNDA SOLUTIO, ET CONCILIATIO
textus utriusque, videlicet libri Regum, & Paralip.
prop. proponitur, ac describitur.*

I **A**LII igitur, vt explicent concentio-
nem textus *lib. 4. Reg. cap. 8.* cum
textu *lib. 2. Paralip. capit. 22. v. 2.* inquirunt,
Ochoziam fuisse viginti duorum annorum,
quando regnare cœpit cum patre suo Joràm,
filio Josaphat, per spatium autem viginti an-
norum cum parente regis munus gessisse: vn-
de consequens sit, vt natus annos quadragin-
ta duos solus regnare fuerit exorsus, & ita in-
telligendum esse aiunt textum *lib. 2. Paralip.*
recteque vtramque summam intellectam om-
nis contrarietatis expertem, & verissimam es-
se. Rursus vt id stare queat, addunt, Joràm
triginta duos annos natum cum patre suo Jo-
saphat regnasse, & illo è vivis sublato, octo
tantum annos Regnum obtinuisse, quamvis
horum duntaxat, quia id Chronologiæ inte-
rest, non illorum fiat mentio expressa in Scrip-
tura: sexagenarium proinde obiisse Joramum,
non quadragenarium, idque esse quidem con-
tra Josephum, sed non contra Scripturam,
vt-

Secunda solutio, & concil. &c. Sec. 5. 171
vt potè quæ Regis Joràm viginti annos, quos
habuit supra quadraginta, non negat, sed ta-
cità includit in annis Regni Josaphat parentis
sui. Hæc sententia arrisit Cardinali Hugo,
Dyonisio, Glossæ, Nicolao de Lira, Vatablo,
PP. Gordono, Mendoza, & Eximio Doctore,
tom. 1. in 3. part. disp. 6. sec. 1. fulciri que po-
test ex D. Hyeronimo in *quest. Hebraic. in lib. 2.
Paralip. cap. 22.*

2 Sed ne huic adstipuler placito, adducor
primò, quia iuxta prælaudatos Authores ne-
cesse est, vt simul regnaverint Josaphat, Jo-
ràm, & Ochozias; id quod haud difficulter
ostenditur; quoniam in hypothesi quam susti-
nent ijAA. Jorà triginta duos annos natus cum
patre suo Josaphat regnavit viginti annos, &
eo mortuo, annos octo: rursus Ochozias, Jo-
rami filius, cum patre suo regnavit annis vi-
ginti, igitur exceptis annis octo Regni Jora-
mi, in quibus iam à vita excesserat Josaphat,
in reliquis duodecim qui complent viginti an-
nos Regni Joràm, & Ochoziæ, profectò reg-
naverunt simul Josaphat, Joràm, & Ocho-
zias; porrò autem hunc velut triumviratum
regum insolitum, & inauditum, repertum fuis-
se, nemo facillè credet.

3 Secundò: quia *lib. 2. Paralip. capit. 20.
v. 31.* dicitur: *Regnavit igitur Josaphat super
Ju-*

Judam, & erat trigintaquinque annorum cum regnare cœpisset: viginti autem, & quinque annis regnavit in Jerusalem: obiit ergo Josaphat sexagenarius; totidem quippe annos conficiunt 35. & 25. Tum sic: iuxta expositionem prælibatam, quam oppugnamus, Joram fuit etiam in morte sua sexagenarius, & octo annos duntaxat fuit Josaphato patri suo superstes; reliquum igitur est, ut ipse Josaphat octo annos tantum habuerit, cum genuit Joramum; id quod omnem superat fidem.

4 Tertiò: Joram filius Josaphat non potuit viginri annos cum patre suo regnare: probatur extraditis *dissertatione 7.* quoniam annus primus Regni Jorami filij Achab fuit secundus Regni Jorami Judæ Regis, inspecto initio nuncupationis illius in Regem: sed primus annus Regni Jorami filij Achab concurrat cum decimo octavo Josaphati: igitur Joram filius Josaphat, regnare cœpit anno decimo septimo patris sui: à quo tempore vsque ad annum vigesimum quintum, & vltimum Josaphat, solum remanent novem anni: igitur non potuit Joram regnare viginti annos cum patre suo Josaphat. Prima assumptio perspicua est ex *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* vbi de Ochozia filio Achabi, dicitur: *Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, &*

reg.

regnavit Joram frater eius pro eo, anno secundo Joram filij Josaphat Regis Judæ: non enim habebat filium: primus igitur annus Regni Joram filij Achab est secundus Jorami filij Josaphat. Minor verò seu secunda assumptio haud minus liquidò constat ex eod. lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1. vbi sic habetur: *Joram verò filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat Regis Judæ: cum igitur hic annus decimus octavus Josaphat sit secundus regni nuncupationis Jorami filij eius super Judam: conficitur certò, initium regij muneris Joram filij Josaphat sumendum ab anno decimo septimo parentis sui, igitur cum Josaphat præcisè regnaverit annis viginti quinque lib. 3. Reg. cap. 22. v. 42. subducitur, quòd Joram cum patre suo Josaphat novem annos ad summum regium munus obiit: falsum ergo est, quòd viginti annos cum patre regnaverit Joram.*

5 Illustratur, quoniam nullum aliud anterior initium regij muneris Joram filij Josaphat assignatur in scriptura: perperam ergo refertur initium Regni ipsius ad tempus vndecim annis anterior. Tum quia si anno decimo octavo Josaphat, iam pluribus retro annis filius eius Joram regnaverat cum patre, non rectè annus ille decimus octavus diceretur secundus Joram.

ra.

Rami. Et quidem vt in *dissertatione 7. præcipue sect. 5.* ostensum est, initium magis proprium regij muneris Joram filij Josaphat sumendum est ab anno vigesimo tertio Regni Josaphat: & subinde tribus præcisè annis cum parente Josaphat regnavit Joram: non igitur cum patre viginti annos regnavit Joram, vt præfata sententia docet.

SECTIO SEXTA.

TERTIA SOLUTIO PROPONITUR, AC refellitur.

I **A**LII, inter quos P. Gaspar Sanchez, respondent, Joram octo tantum annos regnasse cum Josaphat, & post eum viginti, sed propter insanabilem morbum, quo afflicatus fuit, simul regnasse cum filio Ochozia; ideoque hunc incipientem regnare, patre superstitite, fuisse viginti duorum annorum, vt dicitur *lib. 4. Regum, cap. 8.* illo verò defuncto, quadraginta duorum annorum fuisse, cum coepit regnare, vt habetur in *2. Paralip. cap. 22.*

2 Sed contra primò ex *2. Paralip. cap. 21. v. 19.* vbi, cum de morbo Joram sermo fiat, dicitur, *duorum annorum expletus est circulus,*

& sic longa consumptus tabe, ita vt eggereret etiam viscera sua, languore paritèr, & vita caruit. Cum igitur tantum duobus supremis annis æger, tabidusque fuerit Joram, fieri non potuit, vt propter eius morbum simul cum eo viginti annos regnaverit Ochozias filius eius.

3 Confirmatur; quia eodem *lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 12.* asseritur, quod allata sunt ei, scilicet Joram filio Josaphat, literæ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: hac dicit Dominus Deus David patris tui, quoniam non ambulasti in vijs Josaphat patris tui, & in vijs Asa Regis Judæ, sed incesisti per iter Regum Israel, &c. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum Populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis. *universaque substantia tua, tu autem egrotabis pessimo languore uteri tui.* Sic ibi: & post pauca refertur ægrotudo pessima, & mors Jorami. Igitur ab initio languoris pessimi huiuscæ Regis vsque ad mortem ipsius incredibile est, intercessisse annos viginti, in quibus regnaverit Ochozias filius eius, cum patre; solum quippè post Eliæ prædictionem, & Jorami morbum intercessit invasio Philistinorum, & Arabum, qui vastaverunt terram Judæ, & diripuerunt cunctam Jorami substantiam, quæ erat in domo Regis, & filios eius, & vxores

excepto Joachaz seu Ochozia, natu minimo, vt in eod. cap. dicitur.

4. Contra secundò ex 4. *Reg. c. 3. v. 1.* vbi dicitur: *Joram verò filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat Regis Judæ. Regnavitque duodecim annis.* Ergo eum Josaphat iuxta dicta nuper, regnaverit 25. annis, vt liquet ex *lib. 2. Paralip. cap. 20. v. 31.* necesse est, vt Joram Rex Israel post eum regnaverit tantum quinque annis. Sed vt constat evidenter ex *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16. & 25. Et cap. 9. v. 27. & 29.* anni Joram Regis Judæ, & eius filij Ochoziæ clauduntur in annis Joram Regis Israel, sic enim habetur dicto *ca. 8. v. 16.* *Anno quinto Joram filij Achab Regis Israel, & Josaphat Regis Judæ, regnavit Joram filius Josaphat Rex Judæ. Et v. 25. anno duodecimo Joram filij Achab Regis Israel regnavit Ochozias filius Joram Regis Judæ.* Quibus compositis cum ijs, quæ dicuntur *capit. 9. v. 27. & 29.* constat enim ibidem, Ochoziam obiisse eodem anno duodecimo Jorami Regis Israel, id quod prælibavimus *dissert. 7. sect. 5. num. 12.* conficitur utique, nec plures fuisse annos Jorami Regis Judæ, & Ochoziæ filij, quam fuerint anni Jorami Regis Israel; imò nec tot, ergo nec ille, nec filius eius Ochozias regnare viginti annos post Josaphat, vt dicitur in so-

lutione prælibata, quam nunc rejicimus.

5. Tertio, quoniam *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17.* Joram Rex Judæ mortuus dicitur anno duodecimo Jorami Regis Israelis, quando scilicet Ochozias successit patri in Regno Judæ; cum ergo Joram filius Josaphat regnaverit tantum octo annis, vt in eodem *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17.* habetur, necesse est, primum Jorami Judæ Regis annum concurrere cum quinto anno Jorami Israelis Regis, & filij Achab: igitur anni Regni Jorami Regis Judæ includuntur in annis Regni Jorami Regis Israelis; nec tot quidem fuerunt, vt patet ex dictis: proindeque fieri non potuit, quòd Ochozias cum parente suo Joram regnaverit annos viginti.

6. Quartò: duo initia Regni Ochoziæ in Sacra Scriptura designantur, primum anno undecimo Joram filij Achab, *lib. 4. Reg. cap. 9. v. 29.* secundum anno duodecimo eiusdem Joram filij Achab, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* vt etiam in *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 1.* cum igitur fieri nequeat, vt uterque locus de eodem regnandi principio loquatur, asserendum est, in *cap. 9.* sermonem esse de initio imperandi simul cum patre suo Joram filio Josaphat; in *cap. autem octavo* de anno, quo idem Ochozias solus regnare coepit; in eumque sensum loci prædicti, quoad speciem invicem repugnantes

in concentum adducuntur iuxta communem sententiam Illustrissimi Abulensis, ipsiusque Gasparis Sanchez, cuius nunc oppugnamus expositionem, aliorumque, quos *dissert. 7. sect. 5. num. 11.* laudavimus: in presentiarum ergo asseri nequit, quod Ochozias cum patre suo Joram filio Josaphat regnaverit viginti annos, patet consecutio, quoniam Joram filius Josaphat obiit anno duodecimo Jorami filij Achab, ut sapè dictum est, ideoque Ochozias solus regnum inivit eodem duodecimo anno filij Achab.

7 Quintò: si periodus temporis regnantis Jorami cum parente suo Josaphat inspiciatur, non fuit præcisè annorum octo, sed novem, patet, quoniam Joram filius Achab regnare cœpit anno decimo octavo Regni Josaphat, *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* idemque annus decimus octavus Josaphati, fuit secundus Jorami filij eius regnantis cum patre, *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* cumque Josaphat annos viginti quinque imperaverit, *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 42.* conficitur sanè, Joramum eius filium cum patre novem annos regis munus gessisse: perperam igitur enodatur difficultas nostra, dicendo quod Joram cum patre suo Josaphat octo annis regnavit, & postmodum cum Ochozia filio suo alios viginti.

Quòd

8 Quòd si initium Jorami Regni, superstitite Josaphat, magis propriè inspiciatur, duendum utique ab anno vigesimo tertio Josaphat, quando videlicet Josaphat suscepit bellum formidolosissimum contra Ammonitas, Moabitas, & Idumæos, pro eo ac ostendimus *dissert. 7. sect. 5. per totam.* Porro autem ab illo anno vigesimo tertio usque ad finem Regni, ac vitæ Josaphat, subremanent tantum anni tres: id circo stare non potest, quòd Joram cum Josaphat patre suo Regnum moderatus fuerit annos octo.

9 Unde dum *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 17.* dicitur, quòd Joram filius Josaphat octo annis regnavit, numerandi veniunt hi anni à vigesimo tertio Josaphat, finemque accipiunt anno duodecimo Jorami filij Achab, ut in *dissertatione 7.* nuper citata evicimus: ut inde lucem accipiat quod eodem *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* dicitur, nempe, anno quinto Jorami filij Achab regnare cœpisse Joramum Josaphati filium: id quod aliter agrè exponi valet: quamobrem ex hoc loco sexta potest institui argumentatio adversus præoppugnatam expositionem Sancij, & aliorum.

10 Illustratur: Ochozias cœsit è vita armis Jehu, & quidem eodem ferè impetu, quo ab eodem Jehu occisus fuit Joram filius Achab: cum

enim Ochozias Rex Judæ descendisset in Israel ad visitandum Joramum Regem Israel, qui ibi ægrotabat, audito præcipiti adventu Jehu, egressi sunt Joram, & Ochozias, singuli in curribus suis, in occursum Jehu, etsi nescirent, quo animo veniret is, at intelligens Joram nihil sani illum in animo habere, flexis habenis cœpit fugam capessere, aitque ad Ochoziam *lib. 4. Reg. capit. 9. v. 23. Infidia Ochozia; porro Jehu tetendit arcum manu, & percussit Joram inter scapulas, aversum scilicet ad fugam, & egressa est sagitta per cor eius, statimque corruit in curru suo, dixitque Jehu ad Badacer Ducem: Tolle projice eum in agro Naboth Israelitæ. Memini enim quando ego, & tu sedentes in curru, sequebamur Achab patrem huius, quod Dominus onus hoc levaverit super eum; prædixerat quippè ei hoc malum ingens quod ei impendebat, dicens: Si non profanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus.*

II Ochozias autem Rex Judæ videns, hoc fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Jehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo, & percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est iuxta Jeblaam, qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi. Sic constat ex *lib. 4. Reg. capit. 9.*

v. 27. vbi adnotandum, in *lib. 2. Paralip. capit. 22. v. 9.* scribi, quod Jehu, ipsum quoque perquirens Ochoziam comprehendit latitantem in Samaria, adductumque occidit. Verumtamen Samaria, Regni metropolis, pro ipso Regno Israelis sumpta videtur, intra cuius fines Mageddo continebatur, vbi deprehensus Ochozias à militibus Jehu, & ad ipsum adductus, ab eodem occisus est, moxque in curru Ierosolymam ad sepulturam delatus: locusque occisionis ab Scriptura notari, videtur, quod præter opinionem sit, Regem Judæ in Regno Israelis latebras petijisse.

12 Unde apertè conficitur, Ochozian, Judæ Regem, occisum fuisse statim à morte Jorami Regis Israelis, & filij Achab: anno videlicet duodecimo Regni eiusdem Jorami; & subinde cum Joram filius Josaphat octo annos tantum regnaverit, ut sæpè dictum est, regnareque cœperit anno quinto Jorami Regis Israel filij Achab, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 16.* asserendum est, Jorami filij Josaphat Regni annos octo, sicut & tempus Regni Ochoziæ filij eius, quod vnus duntaxat anni fuit, *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2.* includi in annis duodecim Regni Jorami filij Achab: idcircoque falsum est, quod Joram post patrem suum Josaphat Regnum obtinuerit annos viginti, & quod

quòd propter ipsius ægritudinem, ac tabem, tanto tempore Regis munus gesserit filius eius Ochozias, vt in oppugnata expositione continebatur.

SECTIO SEPTIMA.

*PRÆFERENDAM PROPONIT, ET
communit sententiam.*

VIDETUR potior ac præferenda sententia asserens, quadraginta duos annos memoratos *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2.* illis verbis: *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cepisset*, non esse annos vitæ ipsius Ochozias, sed Regni Israel in Samaria, siuè numerādos ab anno quo Amri Rex Israel, Regni æmulo de medio sublato, pacificè regnavit, & Samariā coepit edificare, quapropter optimè stat, quòd idem Ochozias viginti duos annos ætatis suæ ageret dum Regnum inivit, iuxta id quod in *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 26.* asseritur; sic duo hæc loca exponant, & in concentum redigunt Hebræi in Seder Holam *cap. 17.* Genebrardus in *Chronologia in Ochozia*, P. Serarius *Comment. in lib. 4. Reg. cap. 10.* Richardus Linæus *trac. 5. de Locis, cap. 6. num. 78.* Et profectò quatenus hæc sententia nullum in Vulgata editione agnos-

Præferendam proponit, &c. Sec. 7. 183
noscit erratum, sed vtroque veram esse propugnat, protegitur ab Authoribus cunctis, qui eandem vtriusque loci veritatem agnoscentes eam etsi diversimodè stabilire conantur, quos dedimus *sect. 5. & 6.*

2 Probatur primò, quoniam temporis rationi ea expositio exactè congruit; nam Amri quator annis cum decerasset adversum Thebni pro adipiscendo Israelis Regno, tandè anno quinto pacificè impetare coepit, nempe anno trigesimo primo Asa Regis Judæ: vt differtè habetur *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 23.* hiscè verbis: *Anno trigesimo primo Asa Regis Judæ regnavit Amri super Israel: prælibavimus autem differt. 7. sect. 1. num. 11.* id haud intelligendum ita, vt Amri eo anno trigesimo primo Asa, regnare coeperit, cum ex *cod. lib. 3. Regum, cap. 16. v. 15. & 16.* liquidum sit, Amri anno vigesimo septimo Asæ Regem factum, sed quòd eo anno trigesimo primo Asæ, Regni pacificè potitus est: cum igitur Amri duodecim annos, licèt non integros, regnaverit, vt cernere est *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 23.* fit utique, ab hoc pacifico Amri Regno vsque ad finem regiminis illius, octo annos fluxisse: tum quia Amri celsit è vita anno trigesimo octavo Asæ Regis Judæ, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 29.* à quo anno ad præcedentem trigessimum primum

num eiusdem Aſæ, inveniuntur anni octo; primo, & octavo, vt fieri debet, computatis.

3 Amri in Regno ſucceſſor fuit filius eius Achab, qui cœpit regnare in Iſrael eodem anno trigelimo octavo Aſæ Regis Judæ, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 29.* & ad viginti duos annos illius protractum eſt Regnum, vt oſtenſum eſt *difſert. 7. ſect. 1. num. 15.* & quamvis Ochozias filius Achabi, duobus anniſ regnaverit, id temporis chronologiam non auget, vt prænotavi *dic. difſert. 7. ſect. 1. num. 16.*

4 Poſt Achabum in Regno Iſrael ſucceſſit eius filius Joràm, *lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17.* & regnavit annos duodecim, vt habetur *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* At anni 8. Amri, 22. Achabi, ac 12. Jorami efficiunt quadraginta duos: igitur habita ratione Regni Iſraelitici ab anno, quò, hoſte, & Regni æmulo Thebni devicto; & delèto, pacificè Amri Regnum adeptus fuit, ſimulque Samaria conſtrui cœpta eſt, vſque ad annum duodecimum Jorami Regis Iſrael anni quadraginta duo elapſi ſunt: porrò autem eodem anno duodecimo Jorami Regis Iſrael, poſt mortem patris ſui regnare cœpit Ochozias Rex Judæ, *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 25.* Optimè igitur *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2.* aſſeritur, tunc fuiſſe Ochoziam quadraginta duorum annorum, id eſt egiſſe annum, qui Iſraeliti-

litici Regni ab Amri pacificè obtenti, & Samariæ condi cœptæ erat quadageſimus ſecundus: proinde à temporis ratione ſtabilitur noſtra ſententia.

5 Secundò probatur ex Hebraica Lectiōne, in qua *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 2.* diſertè habetur: *ſilius quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet*; quem admodum ergo illud, *ſilius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet. lib. 1. Reg. cap. 13. v. 1.* exponendum eſt de vno anno, non vitæ, ſed Regni Saulis, vt diximus *difſert. 5. ſec. 5.* ex mente equidem gravium, apprimeque ſapientum Scriptorum, quos vbi nuper *num. 2. ſine.* laudavimus; in præſentia quoque cum dicitur *ſilius quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet*, intelligendum non de annis vitæ ipſius Ochoziæ, ſed de Iſralitico Regno Samariæ. Conferunt in eundem ſenſum, quæ citata *difſert. 5. ſect. 5. num. 2.* tradidimus.

6 Tertiò: vrbs illa Samaria Regum Iſrael Regia, ac Metropolis eſt ad eò celebris, vt contra ipſam detonent Iſaias, cœterique Prophætæ, quam ſcidit funditus Salmanaſſar Aſſyriorum Rex, illius Rege ultimo Oſeæ, & incolis in exilium abactis *lib. 4. Regum, cap. 17. v. 16.* ſed ſucceſſu temporis paulatim reſtaur-

ratam, post varios alternantis fortunæ cassus, tandem Herodes Afcalonita, teste Josepho, *lib. 5. Antiq. cap. 7.* Adrichomio in *Samaria*, & alijs, pristino splendori restituit, amplissimo illam muro per viginti stadia communiens, & præter innumera Palatia, vastissimum in ea Templum ponens nongentorum pedum in honorem Augusti Cæsaris, à cuius etiam nomine Urbem ipsam voluit, vocari Sebastem, id est Augustam. Tum sic: ab Urbe igitur condita, in Sacris Libris adeò celebri consonum fuit, vt nota temporis duceretur, præsertim cum Ochozias licet Rex Judæ ad Regnum Israeliticum haud parum attineret, vt in obiectionum solutione planum fiet.

7 Quartò: Regum Judæ, & Israel Chronologia in *libris Regum*, & *Paralipomenon*, innectitur ita, vt periodus aliquorum Regum Judæ notetur ab annis Regum Israel, & istorum Regum ab annis Regum Judæ: nihil ergo mirum esse debet, quòd exordium Regni Ochoziæ, etsi Judæ Regis, signetur periodo, aut Æra Regni Israelitici in Samaria: consecutio procedit à simili, & à solitis, vnde optimè arguitur, vbi deficit demonstratio, *cap. Asfertè, 2. cap. Scribam, 9. de Presumption. cum alijs à me adductis, tract. de Libert. Actus div. fidei, sect. 4. num. 9. Et sect. 5. ferè per totam.*

Quòd

8 Quòd autem Chronologia Regum Israel notetur ex periodo annorum Regum Judæ, constat ex *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 25.* vbi dicitur: *Nadab verò filius Ferohoam regnavit super Israel anno secundo Asæ Regis Judæ, regnavitque super Israel duobus annis. Eod. capit. v. 33. Anno tertio Asæ Regis Judæ regnavit Baasæ filius Abiæ super omnem Israel in Thersa, viginti quatuor annis, cap. 16. v. 8. Anno vigesimo sexto Asæ Regis Judæ regnavit Elà filius Baasæ super Israel in Thersa duobus annis: Et eod. lib. 4. Reg. capit. 16. v. 23. signatur Amri Regnum ex annis Asæ Regis Judæ, sicque identidem observari potest.*

9 Haud dissimiliter Regum Judæ Chronologia traditur per annos Regum Israel: nam *lib. 3. Reg. cap. 15. v. 1.* asseritur: *In octavo decimo anno Regni Ferohoam filij Nabat, regnavit Abiam super Judam: Et eod. capit. v. 9. In anno ergo vigesimo Ferohoam Regis Israel regnavit Asæ Rex Judæ, & quadraginta, & vno anno regnavit in Jerusalem: lib. 3. Reg. cap. 22. v. 41. Fosaphat verò filius Asæ regnare cœperat super Judam anno quarto Achab Regis Israel: pluraque alia loca in eundem scopum adducere, proclive erit: consonum ergo Sacræ Scripturæ censendum, quòd etiam exordium Regni Ochoziæ in Judæ tradatur per Chronologiam,*

giam, & annos Regni Israel in Samaria: proindeque expositio nostra videtur præferenda, ac præterea ex obiectionum solutione stabilietur magis.

SECTIO OCTAVA.

OBIECTIONES INFRINGIT.

OPPONAT quispiam primò, temporis rationem à nobis traditam haud stare posse; quoniam *lib. 3. Reg. cap. 13. v. 32.* fit mentio Samariæ, quando scilicet Prophetes ille senex de quo *eod. capit.* agnoscens veritatem cuiusdam vaticiniij viri Dei minitantis Jeroboam, dixit: *Profectio enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra Altar, quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in uribus Samariæ. Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima.* Tum sic: Jeroboam regnaverat pluribus annis ante Amri, ut ex superioribus liquet: igitur falsum est, quòd Amri ædificare iusserit Samariam, & consequenter, si à Samariæ conditu numeros ducamus vsque ad initium Regni Ochoziæ in Judà, non tantum triginta duos, sed multo plures annos reperiemus.

Ref.

2 Respondetur primò ex tradis à P. Gaspare Sanchez, Urbi veteri adiunctum equidem ab Amri fuisse montem vicinum, & Civitatem eousque. extensam, ac totam deinde vocatam Samariam. Respondetur secundò ex P. Cornelio *com. in lib. 3. Reg. cap. 16. v. 31.* Et Tirino ibidem, alijsque, Urbem totam primitus ædificatam ab Amri, ac nominatam Samariam, quare *dic. cap. 13.* per anticipationem asserunt, vocari Samariam, eo quòd postea cum Author libri hæc scribebat, nuncupata sit Samaria: & quidem *dic. lib. 3. Reg. cap. 16. v. 24.* de Amri dicitur, *Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum, & vocavit nomen Civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam.* Unde patet Samariam Urbem Regiam ab Amri constructam, & Samariam nuncupatam: sive tota Urbs, sive præcipua illius pars Amri tribuenda sit.

3 Opponat secundò: *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 23.* asseritur: *Regnavit Amri super Israel duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis:* igitur in Samaria non octo, sed sex annos regnare potuit: At ratio temporis à nobis ducta computat octo annos Amri in Samaria: ergo infirma est prælibata concordia. Respondetur, nos in ratione nostra computare octo annos

Amr

Amri, quia dicimus diducendam Chronologiam à pacifica possessione Israelitici Regni adepta ab Amri, de medio sublato Regni æmulo Thebni, & consequenter ducendos calculos à quinto Regni Amri anno, vt in probatione ostendimus: Deinde diximus habito respectu ad Samariam, enumerandos annos quadraginta duos Israelitici Regni in Samaria, à iactis fundamentis, seu cœpta constructione regie illius Urbis.

4 Quapropter licet Amri sedem suam in Samariam non transtulerit vsque ad septimum annum Regni sui, adeoque non nisi sex annos imperaverit post sedis sue regie translationem; tamen quia in morte Zambri in Thersa Palatium Regium cum tyranno incensum fuerat, *lib. 3. Reg. cap. 16. v. 18.* vrbisque Thersa tota cædibus, & rapinis ad quatuor annos vastata fuisset, ad Regni metropolim aliò transferendam, vbi & regia domus ædificaretur, curas suas, studiumque Amri convertit, animadvertitque, montem in extrema tribu Ephraim in Septentrionali eius parte idoneum ad rem quam parabat; eodemque anno emit Amri hunc montem à quodam nuncupato *Somer*, duobus quidem talentis, vt prælibatum est: talentum autem Hebræorum continebat triamillia siclorum sive 1500. uncias; siclus enim

enim est semivncia: ergo duo talenta argenti faciunt bis mille, & quadringentos aureos, vt notat P. Cornellius. At P. Tirinus bis mille numos aureos tantum efficere, putat.

5 Eo igitur anno quinto Regni sui Amri emptionis contractum cum Semer celebravit, ædificatioque Samariæ magno ab omnibus studio inchoata, vt ad hunc annum notat P. Sallianus, adeò vt anno septimo ipsius regnantis Amri, & secundo à cœpta ædificatione iam regia curia in Samaria adesset; quamobrem initium Regiæ, ac Metropolis istius iure merito ducitur ab anno quinto Amri: & consequenter vt ab initio pacifici Regni Amri, & ædificari cœptæ Samariæ ducatur Chronologia, enumerandi veniunt anni octo Amri, à quinto videlicet vsque ad duodecimum Regni ipsius.

6 Oppones tertio: Ochozias fuit Rex Judæ: quorsum igitur numerentur anni eius 42. à Regno Samariæ, non solum diverso, sed aduerso Regibus, & Regno Judæ. Respondetur: ob id sic eos annos numerari, quoniam Amri conditor Regni Samaritani avus maternus fuit Ochoziæ Regis Judæ, qui filius fuit Athaliæ, filiæ Achab, vt habetur *4. Regum, cap. 8. v. 18.* vbi de Joram Rege Judæ dicitur, *filia enim Achab erat uxor eius.* Scilicet Athalia.

7 Nec obest, quòd eodem *cap. 8. v. 24.*
 & 25. dicitur nempe: *Anno duodecimo Joram filij Achab Regis Israel regnavit Ochozias filius Joram Regis Judæ viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset, & vno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris eius Athalia filia Amri Regis Israel.* Quoniam filia accipitur pro nepte, vt paulò ante constitit ex eodem *cap.* vbi Athalia expressè dicitur filia Achab, qui filius fuit Amri; frequentissimum enim est, vt filius pro nepote accipiatur. Sic vno in loco Jehu, qui Joram succcessit, dicitur filius Namsi, vt *lib. 3. Reg. cap. 19. v. 16.* & alio in loco videlicet *lib. 4. Reg. cap. 9. v. 14.* dicitur idem Jehu *filius Josaphat, filij Namsi.* Consimiliter ergo Athalia, quamvis fuerit neptis Amri, dicitur eius filia. Unde Ochozias filius fuit Athaliæ, Athalia autem filia fuit Achabi; Achab verò filius fuit Amri, qui propterea proavus fuit Ochoziæ Regis Judæ.

8 Nihilominus D. Hieronymus in *lib. 2. Paralip. cap. 21.* inquit: Athaliam non Achabi, sed Amri filiam fuisse: *imitatione illius, (ait) filia eius vocata est, unde & in lib. Reg. dicitur de Joram: erat quippè gener domus Achab.* Sic ipse, cui favere videtur quòd in *lib. 4. Reg. cap. 8. v. 26.* vt prælibavi, nuncupatur Athalia filia Amri, vt iterum *lib. 2. Paralip. cap. 22.*

v. 2. Verum communis sententia est, Athaliam fuisse filiam Achabi, neptem autem Amri; nam id affirmatur non solum *lib. 4. Regum, cap. 8. v. 18.* sed etiam *2. Paralip. capit. 21. v. 6.* vbi de Joram Rege Judæ dicitur *filia quippè Achab erat uxor eius*, nempe Athalia, vt liquidò constat ex *4. Regum, cap. 8. v. 26.* Concinit Josephus *lib. 9. Antiquit. cap. 9.* vbi Athaliam nuncupat Gotholiam, sequutus editionem septuaginta Interpretum, vt notat P. Salian. *Anno Mundi 3147. num. 2.*

9 Oppones quarto: quid refert, Athaliam Ochoziæ fuisse matrem, & Amri proavum ipsius maternum, vt in præsentiarum Samaritani Regni habeatur ratio? Respondetur, interesse plurimum; quoniam Joram Rex Judæ, & pater Ochoziæ, vt habetur *2. Paral. cap. 21. v. 6. ambulavit in vijs Regum Israel, sicut egerat domus Achab: filia quippè Achab erat uxor eius*; nempe Athalia. *Ex odem cap. 21. 2. Paralip. v. 12.* consimiliter dicitur Joram: *quoniam non ambulasti in vijs Josaphat patris tui, & in vijs Asæ Regis Judæ, sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicari fecisti Judam (nempe fornicatione spiritali idololatriæ) imitatus fornicationes domus Achab, &c.* Unde non coluit duntaxat vitulos aureos, sed etiam Baal, & si qua fuerunt alia idòla, quæ Achab, &

Jezebel, eorumque familia coluerat, quæ dum Joram Israelita sustulerat, id agente Josaphato, ut observat P. Salianus *Anno Mundi 3147. num. 3. Et Anno 3139. num. 64.*

10 Deinde Jorami filius Ochozias, suasionibus matris suæ Athaliæ, ipsam, & Joramum imitatus fuit, ut Sacra Scriptura edocet *lib. 2. Paral. cap. 22. v. 2. & 3.* vbi dicitur: *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, & vno anno regnavit in Jerusalem, & nomen matris eius Athalia, filia Amri, sed & ipse ingressus est per vias domus Achab, mater enim eius impulit eum, ut impiè ageret. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab.* Cum igitur Ochozias, etsi Judæ Rex, imitatus fuerit Regum Israelis pessimos mores, mirum censei non debet, quòd initium Regni eius, ab Æra Regni Samariæ computetur, præsertim in eodem loco Sacræ Scripturæ, vbi Ochozias ad Israelis Regem Achab refertur.

11 Id quòd stabilitur insuper, quia Ochoziæ Regis tempus non auget Chronologiam Regum Judæ, quia ut supra libavimus, cœpit regnare simul cum parente Joram, anno eius 8. & ultimo, solus verò regnavit anno sequenti, sed non integro; eodem enim anno mortuus fuit, & regnavit in Judæa Athalia ipsius

sus mater, filia Achab, & neptis Amri, ut edocet P. Salianus. *Anno Mundi 3150. num. 13. Et Anno 3151. num. 28.* quapropter hic annus, quò solus cœpit regnare Ochozias tribuitur Athaliæ, & proinde Ochozias in serie Regum Judæ nihil Chronologia addit. Tum quia etiam vivente filio Ochozia, & absente apud Joramum in Jezrahel, Athalia illius mater videtur rerum potita Hierosolymis, ut observat P. Salianus *predicto Anno 3151. num. 74.* adeoque Ochozias, etsi Rex Judæ, domui Achab adscribendus venit, cuiusque regnandi initium ab exordio Regni Amri, qui fuit primus Rex Israelis in domo, aut stirpe Achab, admodum consentaneè adnotari debuit; præsertim cum à Jehu occisus fuerit Ochozias, eo quòd ipse fuisset de stirpe Achab iuxta id quòd legitur *lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 8. & 9.* ibi: *Cum ergo everteret Jehu domum Achab, invenit Principes Judæ, & filios fratrum Ochozia, qui ministrabant ei, & interfecit illos. Ipsum quoque Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad se occidit.* Ochozias quippè non minus sanguine, quàm pessimis moribus, Achab coniunctus erat, eod.

lib. 2. Paralip. cap. 22. v. 3. & 4.

QUÆDAM DIFFICULTAS AD INTEL-
ligentiam textus lib. 4. Reg. cap. 8. §. 16.
enodatur.

I QUONIAM in precedenti *Disserta-
tione octava*, & in *septima*, sæ-
pè numero ex Josaphat regni
annis temporis rationem diduximus, illosque
viginti quinque fuisse, perspicuè habetur *lib. 3.
Regum, cap. 22. §. 42. Et lib. 2. Paralip. cap. 20.
§. 31.* operæ pretium erit, difficultatem ele-
vare, quæ ex *lib. 4. Reg. capit. 8. §. 16.* circa
hanc Regni Judæ periodum suboritur, inibi
quippè dicitur: *Anno quinto Joram filij Achab
Regis Israel, & Josaphat Regis Judæ, regnavit
Joram filius Josaphat, Rex Judæ: Et quidem
qua ratione intelligendum veniat, Joram fi-
lium Josaphat regnasse anno quinto Jorami
filij Achab, tradidimus dissert. 7. sec. 5.*

2 Nunc verò alia enascitur difficultas,
quia Josaphat regnare cœpit in Jerusalem fi-
niente anno quarto Achabi Regis Israel: igitur
fieri non potuit, quòd quintus annus Reg-
ni Jorami filij Achab, fuerit etiam annus quin-
tus Regni Josaphat, prout asseri apparet in
dicto *lib. 4. Reg. cap. 8. §. 16.* consecutio est
le-

legitima, & antecedens, ex quo deducitur,
haud difficulter ostenditur; quoniam Achab
regnare cœpit anno trigesimo octavo Asæ Re-
gis Judæ, *lib. 3. Reg. cap. 16. §. 29.* Asa verò
Regnum in Judæ obtinuit annos quadraginta;
& vno, *lib. 3. Reg. cap. 15. §. 10. Et lib. 2. Pa-
ralip. cap. 16. §. 13. & 14.* vbi de Asa id legi-
tur: *Dormivitque cum patribus suis, & mortuus
est anno quadagesimo primo Regni sui.* Porro
autem ab anno Asæ trigesimo octavo, eius
nempe vltima parte computata, vsque ad qua-
dragesimum primum annum eiusdem Asæ nu-
merandi veniunt anni quatuor, in quorum fi-
ne Josaphat Regnum inivit, vt filius, & hæres
Asæ, & proinde Josaphat regnatè cœpit anno
quarto Achab Regis Israel, vt disertè habetur
lib. 3. Reg. cap. 22. §. 41.

3 Tum sic: Achab Regnum obtinuit vi-
ginti duos annos, vt constat ex *lib. 3. Regum,
cap. 16. §. 29.* igitur in morte Achab, agebat
equidem Josaphat Regni annum octavum de-
cimum, vel etiam nonum decimum, si in nu-
merum redigamus annum quartum Achab, &
quadagesimum primum Asæ, in quo iam fi-
niente, vt adnotat P. Salius, Regnum ini-
vit Josaphat; & idè ipse Salius, vt absolutè
Asæ tribuantur anni 41. hanc temporis servat
rationem. Unde evincitur, stare non posse, quòd

annus quintus Jorami filij Achab cōcurrat cum anno quinto Regni Josaphat. Tum quia *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* dilucidè habetur quòd *Joram filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat Regis Juda*: annus ergò quintus Jorami filij Achab erat annus Regni Josaphat vigesimus tertius; pro eo ac ostendimus *dissert. 7. sec. 5.*

4 Huic difficultati, vt occurrant Interpretes, in diversas abeunt sententias; prima eorum est, qui existimant, ea verba, & *Josaphat Regis Juda*, redundare, & ideo in quibusdam Latinis Codicibus non reperiri, quemadmodum nec inveniuntur in Regijs Biblijs, neque Latine, neque Grece: & Latinus Interpres Septuaginta Editionis Sixti, consimiliter redundare putat. Nihilominus retinendam esse eam clausulam, convincitur ex Vulgata Lectio- ne: tum quia habetur in textu Hebræo, & Cal- dæo, nec non apud Septuaginta Editionis Sixti.

5 Secunda sententia, apud Illuf. D. Toft. in- quit, illud, & *Josaphat*, sic accipiendum per sup- plementum, *Joram filius Josaphat cepit regnare*. Cœterùm hæc interpretatio ex eo refellenda videtur, quòd cum ad supplementū confugiat, in redundantiam ingentem incidit; quoniam post To, & *Josaphat*, primo loco descriptum, habetur in nostro textu: *regnavit Joram filius Josaphat*: & subinde bis idem diceretur.

6 Tertia sententia est P. Mariana in *Scho- lio ad nostrum textum, num. 16.* vbi viginti quin- que annos Regni Josaphat ita distribuit, vt asserat, obiisse Josaphatum anno quinto Jo- rami filij Achab Regis Israel: videlicet asse- rendo, Ochoziam filium Achabi, regnasse duos annos post Achabi obitum, nempe anno decimo octavo, & decimo nono Josaphatis; & mortuum fuisse anno vigesimo eiusdem Josa- phat: quibus annis, additis quinque Jorami fratris Ochoziæ, & filij Achabi, conficitur periodus viginti quinque annorum Regni Jo- saphat: quò præmiso, ait idem Mariana, in nostro textu vbi dicitur, & *Josaphat Regis Ju- da*, deesse, *mortuus est*: & supplendum: ex *He- br. Schol.*

7 Verumtamen ne huic sententiæ adsti- puler, facit primò, quòd ea temporis ratio, à P. Mariana adducta, reiicienda venit ex tradi- tis *dissert. 7. sec. 1. num. 16. & 17. Et sect. 3. nu- mer. 4.* vbi ostensum fuit, Ochoziam Achabi filium, superstitè patre regnare cœpisse, eod- emque anno vigesimo secundo Regni pa- rentis sui Achabi è vita decessisse. Secundò quoniam iuxta prælibatam sententiã Ochozias Achabi filius regnavit integris duobus annis, decimo octavo, & decimo nono Josaphat, imò, & ineunte etiam anno vigesimo eiusdem Josa- phat

phat, quod stare non posse, evincitur ex *dissert. 7. sec. 4. num. 2. & seqq.* Tertio incongruè additur illud *mortuus est*; cum *Josaphat* in nostro textu reperiat in patrio casu. Quarto, *Josaphat* egisse tantum sui regni annum vigesimum tertium, quando *Jorami Regis Israel* numerabatur annus quintus, stabilivimus *dissert. 7. sec. 5.* & subinde non eo anno celsit è vita *Josaphat*, cum ad usque viginti quinque annos regnaverit.

8. Quarta sententia est quorundam, eorum nominibus suppressis, apud *Illustris. Abulen. lib. 4. Reg. cap. 8. quest. 27.* dicentium, computandum Regnum *Josaphat* ab anno, quo *Josaphat* cum *Joram*o Rege *Israel* bellum gessit adversus *Mesam* Regem *Moab*, ut refertur *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 6. & seqq.* quoniam propter auxilium, quod *Josaphat* præbuit impio *Joram*o, mori meruit, sed propter bona opera, quæ in *Josaphat* inventa fuerunt, parcens ei *Deus*, mortem illi non intulit: proptereaque Regnum *Josaphat* innovatum est, & ab eodem tempore cœpisse existimatur, quod quidem contigit anno primo *Jorami Regis Israel*, ut colligitur ex *lib. 4. Reg. cap. 3.* & proinde annus quintus *Jorami filij Achab*, *Regis Israel*, fuit etiam quintus *Josaphat Regis Judæ*.

Hæc

9. Hæc verò sententia refellitur ab *Illustris. Abulensi* ex eo, quòd illa ex falsa suppositione procedere videtur, nimirum, quòd *Josaphat* peccaverit, adjuvando *Joram* Regem *Israel* contra Regem *Moab*, in quo non peccasse *Josaphat*um, propugnat *Dominus Tostatatus lib. 4. Reg. cap. 3. quest. 6.* ex eo maxime, quòd causam, negotiumque suum in eo gesserit: tum potissime, quia ut in eod. *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 14.* *Eliseus* dixit *Joram*o: *Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultam Josaphat Regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*: si autem *Josaphat* peccasset, præbendo auxilium *Joram*o, non honorasset illum *Propheta*. Nihilominus ipse *Illustrissimus Abulensis dic. lib. 4. Reg. cap. 3. quest. 6.* asserit, quòd satis potest teneri utraque pars, scilicet quòd peccaverit *Josaphat* adjuvando *Joram*um, vel quòd non peccaverit; & in partem negativam, & benigniorem propendit primò, quia *in rebus dubijs, vel quæ aequalitèr se habent ad utrunlibet, quod favorabilius est, tenendum est*; quæ est notatu digna sententia.

10. Quinta expositio est *Vatabli*, qui ex *Hebræo*, per parenthesis vult legi (*Josaphat autem Rex Judæ*) ac subaudiendum, *mortuus est*: verum quoad id, quod subaudiendum pu-

putat, stare non potest, quia hic annus Jorami Regis Israel quintus, erat Josaphati vigesimus tertius, & proinde Josaphat regnavit adhuc biennium, vt stabilivimus *dissert. 7. sect. 5. per totam.*

11 Sexta sententia est P. Saliani ad *Annum Mundi 3143. num. 4.* aientis, quòd cum in hoc loco aliquid supplendum, vel subintelligendum sit, intelligere debemus, subaudiri annum vigesimum tertium Josaphati, idque iuxta rei veritatem, & planissimam sententiam: Nam quòd hunc annum Abulensis, alijque nonnulli vigesimum quintum Josaphati appellant, ex eo contingit, quòd annos Ochozia ab annis Achabi separant, quam Chronologiam secutus fuit Eusebius in *Chronico*, cuius Chronologia in horum Regum annis non semel à Scriptura Sacra dissentit: vt quòd Josaphatum prius Regem facit, quàm Achabum, & alia id genus.

12 Huiuscè tamen licèt sapientissimi Scriptoris expositio haud mihi ex integro arridet; quoniam etsi ab illius sim sententia, in eo quòd Jorami Regis Israel annus quintus sit equidem vigesimus tertius Josaphati, vt ex *præcit. dissert. 7. sect. 5.* liquet, subiendeque censeam in annis Achabi includi annos duos Ochozia, vt prælibavi *dissert. 7. sect. 1. num. 16. & 17.* ita
vt

vt Ochozias aliquot tantum mensibus patri suo Achabo superstes fuerit; nihilominus, subauditio tot annorum infrequens est in Sacra Pagina, adeoque vim aliquam literæ videtur inferre. Tum quia ad liquidum non constat, illum Jorami Regis Israel annum quintum fuisse vigesimum tertium Josaphati, vt ex varijs sententijs relatis *dissert. 7.* dignoscitur.

13 Septima sententia est Tornielli *Anno 121. quinta Etat.* Hebræos expositores secuti, & aientis hunc, vigesimum tertium Josaphati annum, à Scriptura quintum quoque appellari, quoniam Josaphatus annos Regni sui numerare cœperit ab eo tempore, quo in bello Syriaco, in quo occisus est Achab, gravissimum adiit ipse vitæ discrimen, cum illud divino auxilio implorato, feliciter evasit, iuxta id quòd habetur *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 32. Et lib. 2. Paralip. cap. 18. v. 31.* hiscè verbis: *Et circumdederunt eum, Josaphatum, dimicantes, at ille clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo. Cum enim vidissent duces equitatus, quòd non esset Rex Israel, icilicèt Achab, reliquerunt eum.*

14 Hæc sententia potior vtique est, quàm quarta desuper oppugnata, præcipuè cum relictæ cohæreat Chronologiæ; siquidem hoc bellum, quòd adversum Syros gesserunt Achab,

& Josaphat, contigit anno vigesimo secundo Regni Achab, qui ea in expeditione occisus fuit, regnavitque annos viginti duos: id quod vtrumque liquet ex *lib. 3. Reg. cap. 22. v. 35. Et cap. 16. v. 29.* cumque præterea hic idem annus fuerit decimus octavus Josaphat, in quo nempe regnare cœpit Joram filius Achabi, *lib. 4. Reg. cap. 3. v. 1.* relicto utique hoc anno decimo octavo, qui computatur in annis viginti duobus Achabi, supersunt anni quinque usque ad vigesimum tertium Josaphati; quapropter idem annus, qui erat quintus Joram filij Achab, erat etiam quintus Josaphati, habita ratione ab expeditione contra Syros, in qua gravissimum adiit Josaphat vitæ periculum: consequenterque stat quamoptime quod in præcipuo nostro textu asseritur, scilicet, *Anno quinto Joram filij Achab Regis Israel, & Josaphat Regis Judæ, regnavit Joram filius Josaphat Rex Judæ: iamque dissert. 7. sec. 5.* ostendimus, ut intelligendum quod Joram filius Josaphati Regnum inierit anno vigesimo tertio Josaphat, & quinto Jorami filij Achab.

15 Octava sententia, in quam propendet Illustrissimus Abulensis Comment. in *lib. 4. Reg. cap. 8. quæst. 27. ad finem*, asserit, quod Jorami annus quintus non est repetendus in verbis sequentibus, quæ pertinent ad Josaphatum,

tum, sed in his tantum regnasse dicatur, non memorato regni anno, in hunc sensum: *Anno quinto Joram Regis Israel, cum Josaphat esset Rex Judæ, regnare cœpit Joram filius eius, ut videatur facta Josaphati mentio, ad intelligendum, simul cum filio Josaphatum regnasse. Cui expositioni adfavent Tremelius, & Junius, qui vertunt Hebræum textum sic: cum Josaphat esset Rex Judæ.*

16 Opponit tamen P. Salianus, quod Josaphat, iuxta editionem Vulgatam, ponitur in patrio casu, secundum id quod additur *Regis Judæ: &* idcirco intelligi nequit, sensum esse, quod Josaphat tunc præcisè regnaverit, sed repetendus quoque annus quintus eiusdem Josaphat: Verumtamen elevari potest obiectio dicendo, opus non esse repetitione anni quinti in illis verbis, & *Josaphat Regis Judæ*, etiam si in genitivo casu dicta sint, quoniam ille annus quintus Jorami Regis Israel erat annus vnus ex ijs, in quibus regnavit Josaphat, proindeque erat annus Regni Josaphat Regis Judæ; vnde sensus erit idem ac si diceretur *regnante Josaphat.*

17 Nona expositio eiusdem Illustrissimi Tostati *dict. quæst. 27.* sit, quod indifficili nostro textu illud, & *Josaphat Regis Judæ* ponitur iuxta Hebraicum morem ex superabundantia, quia

quia aliquando ex conditione idiomatis ponuntur multę dictiones superflue in Hebręo, & sic in presentiarum evenit. Porro autem prudens, sapiensque lector ex relatis sententijs eliget quam aptiorem existimaverit.

SACRA CRHONOLOGICA, DISSERTATIO NONA.

DE ANNIS JOACHIN REGIS JUDA,
cum regnare cępisset.

*Ad intelligentiam textus lib. 4. Regum,
cap. 24. v. 8. Et lib. 2. Paralip.
cap. 36. v. 9.*

SECTIO PRIMA.

PROPOSITA DIFFICULTATE, ALIQUAS
refutat sententias.

I



IGITUR in *lib. 4. Reg. capit. 24. v. 8.* sic legitur, *Decem, & octo annorum erat Joachin cum regnare cępisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem.* Quę verba haud exiguum continent difficultatem, cum in *lib. 2. Paralip. cap.*

cap. 36. v. 9. dicatur, *Octo annorum erat Joachin cum regnare cępisset, & tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini.* Quid igitur? an alicubi horum locorum irrepfit error? vbinamque? Tum etiam Joachin octennis quomodo posset ad Regni gubernationem, aut societatem a patre asciri, ascitusque statim malum facere coram Domino, & plures vxores ducere, vt de eo refertur *lib. 4. Reg. cap. 24. v. 15.* hisce verbis: *Transtulit quoque Joachin in Babilonem, & matrem Regis, & uxores Regis, nec enim regnavit nisi pauculos menses, paucioribus diebus?*

2 Respondet de more Magister Melchior Canus, nostrum textum *lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 7.* esse vitiatum, & errore scribentium habere in omnibus exemplaribus *octo* pro *decem octo*. Verum enim verò solutio ista omninò reiicienda est, tum propter observandam editionis Vulgatę Canonicam Authoritatem; tum insuper propter omnium exemplarium contentum. Videtis *tom. 1. dissert. 1. sec. 5. dissert. 3. sec. 4. num. 6. & seqq. Et hoc tom. 2. dissert. 6. sec. 3. num. 2. & seqq.*

3 Respondetur secundò ex Genebrardo, octo annos Joachin de quibus *lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 9.* numerandos esse ab imperio Na-

buchodonoforis, cuius beneficio obtinuit Regnum, ut patet ex eodem capitulo, *v. 4.* At verò decem octo annos eiusdem Joachin, de quibus *lib. 4. Reg. cap. 24. v. 8.* computandos ab illius nativitate, & ideo quàm optime vterque textus rectè inter se invicem cohærent: quæ solutio nullam involuit repugnantiam.

4. Verumtamen probabilius videtur, Joachin, cum esset octo annorum, cœpisse regnare cum patre, id est, Regni, non tam moderatorem, quàm legitimum successorem tunc ab eo renunciatum; regnasse autem cum parente decem annis, & sic cum post eius mortem solus cœpit Regni abenas, fuisse 18. annorum, eiusque ex consequenti ætatis, in qua potuerit scelerum, quæ de eo referuntur, reus esse. Cui solutioni adhærent Illustrissim. Abulens. in *4. Reg. cap. 24. quæst. 8.* Jansenius in *Concordia, cap. 6. pag. 47. col. 1. lit. C.* P. Salianus Anno *Mundi 3427. num. 1.* P. Cornelius in *2. Paralipomen.*

5. Cur autem Joachini parens tam citò filium suum puerulum cooptarit in Regnum, ea videtur ratio afferri, posse, quòd vereretur, ne si quid ei humanitùs accidisset, frater eius Sedecias imitatus alterum fratrem Joachaz, debitum puero Joachino Regnum occuparet, motu aliquo populari: quod facilius confici-

poterat eo non dum ad Regnum initiato, quàm eodem dudum iam, & vivo adhuc patre, Regni gubernaculis admoto.

6. Hic autem advertendum, in nostro textu *lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 9.* post ea verba, *octo annorum erat Joachin,* &c. statim addi de Joachin, & *tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Jerusalem.* At *lib. 4. Reg. cap. 24.* habetur, & *tribus mensibus regnavit in Jerusalem.* Caterum nec hic Scriptura sibi contraria est, nec consequèter alicubi falsa. Solet enim scriptura aliquando numeros minutos tacere, & non quia tacet, negat, pro eo ac docent Div. Augustinus *lib. 2. quæstionum in Exod. quæst. 27.* & *de Civitate Dei, lib. 16. cap. 24.* Et *lib. 7. Locutionum in Levit. Et lib. 1. Locutionum in Genes. ad finem,* Epiphanius *lib. 3. contra Hæreses, cap. ultimo,* & *in Ancorato. propè finem.* Eucherius *lib. 3. in Genes. cap. 14. Et lib. 1. capit. 37.*

Cornelius in *2. Reg. cap. 5. v. 4.* ipseque ac Pererius, & Passim alij in *cap. 15. Genes.*



SECTIO SECUNDA.

DE NUMERO, ET NOMINIBUS
filiorum Josiæ, pro ulteriori difficultatis
elucidatione.

I AD pleniorē autē prædictæ difficultatis intelligentiam: quoniam Joachin nuncupatur etiam Jechonias, & fuit nepos Josiæ, notare oportet varias expositorum sententias circa Josiæ filios, quinque enim oppiniones refert Illustris. Abulensis 1. *Paralip. cap. 3. quest. 8.* Prima sententia docent, quod filij Josiæ fuerunt tres solum, iuxta id quod legitur in 4. *Reg. cap. 24. & 23.* nempe Joachaz, Joachin, & Sedecias; nam licet *lib. 1. Paralip. cap. 3.* quartum addi, videatur, nempe Sellum, tamen ipse est, & nuncupatur Sedecias; quia nomen Sellum interpretatur *consumatio*, eo quod in illo consumatum fuit Regnum Judæorum; Nam tempore ipsius, ducti sunt Judæi in Babilonem, & postea non fuerunt Reges de Tribu Judâ, sicut prius, sed quidam Principes, aut Duces.

2. Secunda sententia ait, quatuor fuisse Josiæ filios, qui nominantur *lib. 1. Paralip. capit. 3.* primogenitum videlicet Johanan, secundum

De numero, & nominibus, &c. Sec. 2. 211
cundum Joachin, tertium Sedeciam, quartum Sellum; ideo autem, inquit hæc sententia in *lib. Regum*, tres solum enumerantur, quia illi tres regnaverunt, quartus autem fuit inhabilis ad Regnum.

3. Tertia sententia quatuor fatetur Josiæ filios prænominatos in *lib. 1. Paralip.* ait tamen, quod Johanan non ponitur in *lib. Regum*, eo quod ille mortuus fuerit ante Josiam patrem suum, & non regnaverit.

4. Quarta sententia tenet, tres tantum fuisse Josiæ filios, sicut habetur *lib. 4. Reg.* quemlibetque horum regnasse: enumerari tamen quatuor Josiæ filios in *lib. 1. Paralip. capit. 3.* quia cum eis computatur Josiæ nepos videlicet Joachin, qui quoniam regnavit ante quendam Josiæ filium, ut ex *lib. 4. Reg. cap. 23.* docet Illustris. Abulensis, ideo veluti vnus de Josiæ filijs reputatur. Quinta sententia inquit tres solum fuisse filios Josiæ; cæterum enumerari quoad speciem quatuor in *lib. 1. Paralip.* quia duo nomina ibidem primò relata, scilicet Johanan, & Joachin competunt Josiæ primogenito.

5. Verumtamen contra primam sententiam facit primò, quia iuxta illam Johana idem est, qui in *lib. 4. Reg. cap. 23.* nuncupatur Joachaz, qui regnavit tribus mensibus, ut eodem

lib. 4. habetur capit. 23. V. 31. hæc autem non rectè inter se cohærent; quoniam in *1. Paralip. cap. 3.* Johanan dicitur Josiæ primogenitus; at qui prius regnavit de filiis Josiæ non fuit primogenitus, sed qui secundo regnavit; nam Joachaz, qui prius regnaverat erat 23. annorum, quando cæpit regnare, & regnavit solum tribus mensibus, & post illos cœpit regnare Joachin frater eius, qui dum regnare cœpisset erat annorum 25. ut omnia constat ex *lib. 4. Reg. cap. 23.* igitur Joachaz non erat primogenitus, sed qui secundo regnavit nuncupatus Joachin.

6 Secundo eadem positio refellitur, quia in *lib. 1. Paralip.* primogenitus ex Josiæ filijs non appellatur Joachaz; sed Johanan, nec est unde deducatur, hæc nomina vni, eidemque competere. Tertio rejicitur quia in *1. Paralipom.* quatuor numerantur, & ut diversi nominantur Josiæ filij.

7 Secunda sententia rejicienda venit, quatenus asserit, primos tres filios Josiæ Regnum obtinuisse, quartum verò Regno fuisse inepum; supponit enim hæc sententia, quòd tres primi Josiæ filij, qui nominantur in *lib. 1. Paralip.* fuerunt illi, qui referuntur in *lib. 4. Reg. cap. 23. & 24.* id quod stare nequit, quia primus, quia nominatur in *lib. 1. Paralip.* nempe Joha-

Johanan non potest esse Joachaz, de quo in *lib. Regum*, ut nuper ostendimus, nec alius esse potest ex his, qui regnaverunt, ut eadem sententia tenet: ergo tres primi nominati in *lib. Paralip.* non sunt qui in *lib. Reg.* recensentur. Præterea, iuxta eandem sententiam Joachaz esset primogenitus, quod est falsum, ex supra traditis. Tandem Joachaz idem esset, qui Johanan, quod non probatur. De tertia sententia quid decidendum infra constabit.

8 Quarta sententia refellitur primò, quia absque necessitate à proprietate verborum Sacræ Scripturæ recedit, expressè enim in *lib. 1. Paralip. cap. 3.* Josiæ filij quatuor enumerantur. Secundo, in eodem *lib. Paralip. cap. 3.* postquam Joachin inter quatuor Josiæ filios relatus fuit, ponitur Jechonias, nepos Josiæ: igitur præter hunc Josiæ nepotem fuerunt quatuor Josiæ filij.

9 Quinta sententia quatenus ait, quatuor nominibus in *lib. Paralip.* tres solum significari Josiæ filios, quoniam Johanan, & Joachin sunt nomina solius primogeniti, evincitur ex dictis; tum quia in *lib. Paralip.* Johanan refertur primogenitus, & Joachin secundus Josiæ filius: igitur Johanan, & Joachin nequeunt esse eiusdem Josiæ filij nuncupationes.

10 Dicendum ergo cum tertia sententia, Josiæ filios fuisse quatuor, ut probatur ex *lib. 1. Paralip. cap. 3.* quorum primogenitus videtur Johanan, qui nec fuit Joachaz, nec Joachin, nec etiam regnavit, sed vel mortuus fuit ante Josiam, vel fortè supervixit, & tamen nec Populus voluit eum constituere Regem, nec Pharao Ægypti Rex, quando deposuit Joachaz de Regno, & instituit Joachin; credibilis tamen videtur, mortuum fuisse ante Josiam, aliàs in Regno succederet, cum nulla assignetur causa, ob quam à Regno excluderetur; sic docet Illustris. Abulensis, & est communis sententia Interpretum in *lib. Paralip.*

11 Ex alijs autem tribus Josiæ filijs, quilibet eorum plura nomina habuisse videtur, quoniam ordine nativitatis suæ primus Joachin, quamvis, ut ex eodem textu *lib. 4. Reg. cap. 23.* deducitur, non primò regnaverit, habuit diversa nomina, vocatus enim est Joachin, quod nomen illi posuit Rex Ægypti Pharao, quando dedit ei Regnum *lib. 4. Reg. cap. 23.* istudque nomen est ei frequens in Scriptura, videlicet *Jerem. cap. 22. v. 18. Et cap. 25. v. 1. capit. 26. v. 1. Et cap. 27. v. 1.* multisque alijs locis, adnotante Illustris. Tostato *cap. 3. lib. 1. Paralip. quest. 9.* secundum nomen ipsius fuit Eliacim, idque nuncupationis imposuit ei

pater suus Josias à nativitate, & sic vocabatur, quando Ægypti Rex constituit eum Regem *lib. 4. Reg. cap. 23. v. 39.*

12 Tertium insuper nomen eidem Joachin tribuitur videlicet Jechonias, sulciturque ex textu D. Mathæi *cap. 1.* ubi dicitur, quod Josias genuit Jechoniam; iste autem Jechonias in frequentiori sententia fuit Joachin, ut in alia *dissertatione* ostendemus. Quartum eidem Joachin assignatur nomen, nempe Sedecias, ut ex quadam Rabbi Salomonis positione deducit Illustris. Abulensis *lib. 1. Paralip. capit. 3. quest. 9.*

13 Secundus ex Josiæ filijs, qui Regnum obtinuerunt, fuit ille, qui prius regnavit, licet non fuisset nativitate prior, & Joachaz nuncupatur *lib. 4. Reg. cap. 23. Et 2. Paral. capit. 36.* idemque appellatur Jechonias, ut probatur ex *lib. 3. Esdra, cap. 1.* omnia quippè, quæ de Joachaz dicuntur *lib. 4. Regum, cap. 23.* congruunt Jechoniæ, de quo præcito *lib. 3. Esdra,* fit mentio, videlicet, quod mortuo Josia Populus assumpsit Joachaz in Regem; quod Joachaz erat viginti trium annorum, quando regnare cœpisset, quod regnavit tribus mensibus; denique quod Pharao prohibuit eum esse Regem, & præposuit fratrem suum Joachin.

14 Tertium eiusdem Joachaz nomen fuit

Sellum, ut deducitur ex Jerem. cap. 22. *ψ. II.* nam primo ibi dicitur, quod Sellum regnavit pro patre suo Josia; nullus autem ex alijs Josie filijs propriè dicitur quod regnaverit pro Josia, nisi Joachaz, qui immediatè post Josiam regnavit; alij verò fratres Regnū obtinuerunt post Joachaz. Secundò, quia apud Jeremiam dicitur, quod egressus fuit de Jerusalem, & non reversus est ultra in Civitatem illam, sed mortuus est in terra, ad quam translatus est, quod convenit Joachaz, quem Rex Ægypti transtulit in Ægyptum, & nunquam reversus est. Tum quia id intelligi non potest de Joachin, quia ipse non fuit translatus ad aliquam regionem, de qua non reddierit, ut constat ex Hierem. cap. 22. ubi de Joachin dicitur, quod *proiectus, & putrefactus extra portas Jerusalem Asini sepultura sepelietur.*

15 Tertiò, quia Jeremias ait, ad Sellum id quod de Sedecia Josie filio intelligi non potest; quoniam quando illam prophetiam Jeremias dixit, iam translatus erat ille, de quo loquebatur hiscè verbis: *qui egressus est de loco isto non revertetur hic amplius.* Porro Jeremias dum hæc protulit, erat in Jerusalem; quando autem Sedecias translatus fuit in Babylonem, non aderat Jeremias in Jerusalem, quia Civitas illa debellata fuerat per Chaldaeos: neces-

sarium ergò est, quòd intelligatur Jeremie prædictio de Joachaz, & consequenter quòd ipse sit Sellum. Et ita exponunt Illustrif. Abulensis PP. Barradas, & Salianus *Ann. 3425. num. 25.*

16 Tertiù ex Josie filijs, qui Regnum obtinuerunt, fuit Sedecias, qui diversa habuit nomina: primò nuncupatus fuit Matthatias, ut inquit Illustrif. Abulensis, seu potius Matthanias, ut habetur *lib. 4. Regum, cap. 24. ψ. 17.* Secundò dictus fuit Sedecias, quod nomen ei imposuit Nabuchodonosor, quando constituit eum Regem *lib. 4. Reg. cap. 24. ψ. 18.* idque nominis tribuitur ipsi ferè semper in Sacris literis, ut in *lib. 2. Paralip. cap. ult. ψ. 10. & 11.* & sæpè in libro Jeremie.

17 Tertiò idem Matthanias videtur nuncupari Sellum; quoniam tres Josie filij, qui regnaverunt, sunt relati *lib. 4. Reg. cap. 23. & 24.* quorum ultimus fuit Sedecias, adeoque quartus inter Josie filios, quia primus non regnavit: quartus autem ex ijs Josie filijs *lib. 1. Paral. ca. 3. ψ. 15.* nuncupatur Sellum: Sellum igitur fuit ipse Sedecias. Itaque opinatur Rabbi Salomon, & Illustrif. Abulens. *1. Paralip. cap. 3. quest. 9.* ubi animadvertit, quòd iuxta hanc sententiam Joachin Josie filius habet quatuor nomina, scilicet tria supra dicta, & quartum, nempe Sedecias: quapropter, qui in *lib. Regum*, vocatur

Joachin, in 1. *Paralip.* vocatur Sedecias, & qui Sedecias dicitur in *lib. Regum*, vocatur Sellum in 1. *Paralip.* Ex ijs ergo Josiæ filijs Joachin, qui vndecim annis regnavit, fuit pater Joachini, qui tribus tantum mensibus, ac decem diebus Regnum obtinuit, & huic nostræ dissertationi occasionem dedit ex 2. *Paralip. capit. 36. v. 9.*

18 Denique adnoto, ea quæ à nobis dicta sunt de numero, & nominibus filiorum Josiæ firmari, elucidarique à P. Saliano *Anno Mundi 3401. num. 2. 3. & 4.* dissentientibus tamen Vatablo, & P. Sa. in *lib. 1. Paralip. capit. 3.* Et Maldonado in *capit. 1. Matth. v. 11.* observat etiam P. Salian. *dic. an. num. 4.* filium Josiæ Eliacim, sive Eliachin, ut habetur 4. *Regum, cap. 23. v. 34.* Et 2. *Paralip. cap. 36. v. 4.* dictum à Pharaone Joakim, ut patet ex utroque loco *Reg. & Paralip.* scripto nomine hebraicè per *cuph.* & *mem.* & grecè per *k.* & *m.* At filium eius Joachin per *caph.* & *nun.* à Septuag. verò Interpretibus per *ch.* & *n.* ita ut filius Josiæ nuncupatus fuerit Joakim, nepos autem Joachin.

* * *



SACRA CHRONOLOGICA, DISSERTATIO DECIMA.

DE JUDÆORUM BABILONICA CAPTIVITATE, præcipuè de eius initio,
ac fine.

Ad intelligentiam Isaiæ cap. 1. v. 7. & seqq. capit. 2. v. 10. & seqq. capit. 7. v. 17. & seqq. Et cap. 41. ad 47. ubi de liberatione Israel à Babilone per Cyrum, signantèr cap. 45. Jeremie, per omnia ferè capita, & Threnos. Baruch, per sex cuncta capita. Ezechiel à cap. 1. usque ad 24. Et cap. 40. Daniel. cap. 1. & 2. v. 1. & quidem Daniel adhuc iuvenis, aut decennis puer abductus fuit Babilonem, ubi vixit, prophetavit, ac mortuus fuit.

De eadem captivitate, & liberatione Judæorum prophetavit Joel, capit. 1. & 2. Amos, capit. 2. v. 4. & 5. capit. 6. v. 9. & seqq. capit. 9. v. 1. & seqq. Abdias, cap. unico, Michæas, cap. 1. v. 10. & seqq. cap. 2. 3. 4. 6. v. 9. & seqq. capit. 7. Habacuc, cap. 1. 2. 3. Sophonias, cap. 1. 2. & 3. Zacharias, cap. 1. v. 12.

* * *

SECTIO PRIMA.

MULTIPLEX HEBRÆORVM CAPTIVITAS describitur.

I PRIMA Abrahamidarum captivitas fuit, quam in Ægypto sub Pharaone passi fuerunt, à qua eos Dominus per Mosem liberavit, de illaque fusè disseruimus *tom. 1. dissert. 2.* Deinde quando à Iudicibus Israeliticis Populus regebatur, multiplici servitute afflictus fuerunt, vt *dissertatione 2.* ostendimus.

2 Alia Regni Israelis captivitas, luctuosissimaque clades fuit illa, quam Isaias *cap. 7. v. 8.* prædixit hiscè verbis: *Et adhuc sexaginta, & quinque anni, & desuet Ephraim esse Populus:* Id est Regnum Israel, sivè decem tribuum, & hoc modo in Hebræo, & Septuaginta editione legitur: idque, vt rectè intelligatur, notandum est, pro eo ac tradunt Hebræi in *Seder Olam cap. 19.* & ex iis S. Hieronymus, Haymo, Doct. Angelicus S. Thomas, Procopius, Hugo, & Dionysius, hos sexaginta quinque annos, quorum meminit Isaias, non ab eo tempore, quo hæc denuntiavit Isaias, numerandos esse, sed

à prophetia eadem prædicta ab Amòs *cap. 5. v. 27.* ibi: *Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus: & Israel captivus migrabit de domo sua.*

3 Et consimiliter, *cap. 7. v. 11.* qui idem, quod hic Isaias prophetavit. Sed Amòs multò ante, scilicèt anno vigesimo quinto Ozia, seu Azariae Regis Judà, cuius reliqui regni anni sunt viginti septem; Ozias enim regnavit annos quinquaginta duos, 4. *Regum 15. v. 2.* post eum regnavit Joathan filius eius annis decem sex; & huius filius Achaz annis alijs sexdecim: post quem regnavit Ezechias, cuius sexto imperij anno, capta Samaria est: tunc quippè extinctum Regnum decem tribuum: porrò autem ex his annis conficitur summa sexaginta quinque: vnde Isaiæ vaticinium, quod locutus fuit ad Achaz accipiendum quasi diceret: ego Isaias repeto, & confirmo prophetiam Amòs, quæ vulgo nota, & trita est; scilicèt quòd ab eius vaticinio inchoando, post 65. annos, vastabitur Samaria; sivè paulò aliter iuxta D. Hieronymum, & alios sapientissimos Interpretes, adhuc in fluxu esse illos sexaginta quinque annos ab Amòs prædictos, nec planè effluxisse; id quod septuaginta apertius dixerunt, nimirum in sexaginta quinque annis deficiet Regnum Ephraim, id est,

est, intra illos dudum prænuntiatos 65. annos. Et Caldæus: *in fine 65. annorum cessabit Regnum domus Israel.* Sic docent P. Cornelius in *cap. 7. Isaiæ.* Et Salian. *Ann. Mund. 3250. n. 8.*

4 Eodem quoque anno Ozix Regis Judæ vigesimo quinto, & Jeroboam secundi Regis Israel, quadragesimo, contigisse videtur, ingens, ac celebris terræmotus, cuius meminit Amos *cap. 1. v. 1.* Et Zacharias *cap. 14. v. 5.* ad illum quippè annum eum referunt Glossa in 2. *Paralip. capit. 26.* Augustinus Tornielus *Anno 228. quinta etatis.* Christophorus à Castro in *cap. 1. Amos, num. 5. sine.* Et in *capit. 14. Zachariae, num. 9.* Salianus, *Anno Mundi 3250. num. 2. & 3.* etsi ab hac temporis ratione discedant Joseph. *lib. 9. cap. 11.* & alij, quibus subscribit P. Cornelius *Isaiæ cap. 7. v. 8.* cuius tristis eventus causam aliquam P. Salianus existimat fuisse, velle Deum significare imminentes animorum motus, qui in Regno Israelis paulò post, moriente Jeroboamo, secuturi erant, & quidem tanti, vt Regnum ad annos circiter duodecim varijs seditionibus iactatum Rege caruerit: & qui illud denique obtinuit Zacharias, ad sex tantum menses eo potitus fuit: cui mox Sellum ad vnum tantum mensem successerit, vt aperte legitur *lib. 4. Regum, cap. 15. v. 8. & 13.* & rursus Manahem, qui
bar-

barbaram, aut ferinam potius in suos crudelitatem, exercuerit, & externum hostem Regem Assyriorum in Regnum suum acciverit, *lib. 4. Reg. cap. 15. v. 19.* vt sic doceret eum inire viam ad perdendum Israel, & cum in captivitate abducendum; quod evenit regnante Phacea, vt mox dicetur; & hæc terræmotus, de quo agimus, maximè præmonstrabat.

5 Captivitas igitur duarum tribuum cum dimidia sic describitur *lib. 4. Reg. cap. 15. in diebus Phacee Regis Israel venit Teglab-Phalazar Rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum Maasbâ, & Jaonè, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galileam, & universam terram Nephtalim, & transfudit eos in Assyrios. Hæc lib. 4. Reg. Et lib. 1. Paralip. cap. 15. v. 29. ibi: Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul, Regis Assyriorum, & spiritum Teglab-Phalazar Regis Assur, & transfudit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Labela, & in Habor, & Hara, & fluxum Gozan usque ad diem hanc.* Utrumque locum expressit Josephus *lib. 9. capit. 11.* omissa tamen aliquot urbium enumeratione: vnde conficitur, hac Dei castigatione ob scelera sua afflictas, & punitas quinque tribus, scilicet Rubenitas, Gadditas, & dimidiam tribum Manasse, & Galilæam, puta Zab-

bulonitas, & Nephthalitas. Sic docet P. Cornelius in *lib. 4. Reg. cap. 15. v. 29.*

6 Id autem observandum, ex prædictis subduci, Medos tunc temporis Assyriorum Imperio paruisse, nam in *lib. 4. Reg. capit. 15.* dicuntur prædicti Israelitæ translati in Assyrios, à Teglat-Phalasar Rege Assyriorum; in libro autem *Paralip. 1. cap. 15.* explicatius nominantur Civitates, & fluvius Gozân, ad quem collocati sunt: postremò illæ ipsæ Civitates, quæ sitæ sunt iuxta eundem fluvium, dicuntur Civitates Medorum *lib. 4. Reg. cap. 17. v. 6. Et cap. 18. v. 11.* Ne ergo dicamus Mediam esse Assyriam, quod absurdum est, asserendum profectò, Medos fuisse Assyrijs subiectos: neque enim Assyrij servos suos Israelitas ad regionem alterius principis, sibi non subditi, amandassent: nec aliter Mediæ regio sub nuncupatione Assyriorum contineretur: idque observant Illustris. Dom. Tostatus in *lib. 4. Reg. cap. 15. quest. 9. in fine.* Et P. Salianus, *Anno Mundi 3279. num. 7.*

7 Porro autem contingit hæc Israelitarum captivitas iuxta exactam valdè temporis rationem, quam tradit P. Salianus, *Anno Mundi 3279.* Quintæ Ætatis 340. Salomonici Templi fundati 257. Joatham Regis Judæ 2. Phæ-

ceæ

ceæ Regis Israelis 3. Joatham Pontificis 2. Excessu Troiæ 409. Teglat-Phalasar 1. Imperij Assyriorum 1347. Olympiadis primæ anno 2. ante Christi Domini nativitatem 774.

7 Præfatæ Israeliticę gentis captivitati, demagis acerba alia successit, quæ Israelis Regno finem imposuit: cum enim Regnum Israelis, ex quo per Jeroboam filium Nabath à Regno Juda separatum fuit, per annos 255. perpetuo, cum omnibus suis Regibus, Idolis servivisset; imitativæ essent Israelitæ profanas, & impias nationes. quas ob eam ipsam impietatem Dominus in eorum adventu disperdiderat: quin etiam severas, & multiplices Prophetarum minas, obstinata mentis inductione neglexissent; atque adeò ad ipsas etiam plagas, quas Teglat-Phalasar ante intulerat, tertiam Regni partem occupando, non enim integras quinque tribus captivas abduxit: cum inquam ad tot flagella indurivissent, hoc infra notando anno, per eius denique filium Salmanasarem, Regno univervo interitum funditus Deus attulit: vt liquidum sit ex *lib. 4. Regum, cap. 17. v. 13. & seqq.* maximè 18. per hæc verba: *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Judæ tantummodo.*

8 Huiuscemodi verò cladem perper-

fuit

fuisse Israelitas per Salmanasarem Assyriorum Regem, probatur ex *lib. 4. Reg. cap. 18. v. 9.* per hæc verba: *Anno quarto Regis Ezechia, scilicet Regis Judæ, qui erat annus septimus Osee, filij Ela, Regis Israel, ascendit Salmanasar Rex Assyriorum in Samariam, Israelitici Regni regiã, & oppugnavit eam, & cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechia, id est, nono anno Osee Regis Israel, capta est Samaria: & transfudit Rex Assyriorum Israel in Assyrios: posuitque eos in Halã, & in Habor fluvij Gozan, in Civitatibus Medorum: quæ repetuntur cap. 17. v. 6.* eo tamen discrimine, ut priori loco Helã, & Habor dici videantur fluvij Gozan; sed cum hæc loca iuxta fluvium Gozan sita asserantur *cap. 17. P. Serarius, & alij censent in capit. 18. vbi dicitur fluvij, legendum fluvij, ut sensus sit, iuxta fluvium: cæterum voce fluvij retenta, idem significatur, quoniam nuncupari possunt fluvij vrbes adiacentes fluvij, per Metonymiam, ita P. Cornelius lib. 4. Reg. capit. 18. v. 11. nec dissidet Salianus in Scholio ad Ann. Mund. 3314.*

9 Igitur Josephus ait, abductos Israelitas in Mediam, & Persidem, Genebrardus ultra montes Medorum, & Persarum; & ex his proles seminatos barbaros, qui oram septentrionalis Orientis tenent, quorum Imperium Persico im-

imminet, eoque à parte Assyriæ, & Mediæ terminatur: idque ex eo consulcitur, quod hordæ quædam apud Tartaros nomina Dan, & Nephthalim; & Zabulon retinuisse dicuntur, aliæque apud eos extare legis, & rerum Hebræicarum monumenta: ut non mirum sit, Russiam; Sarmatiam, Livoniam, & Moscoviam Judæis abundare: ex nostrorum autem annis literis Indicis, *An. 1607.* constat etiam in Regnis Catay, quæ Synas ab occasu, & Septentrione tangunt, non paucos Judæos reperi; sicut & Christianæ Religionis vestigia longè plurima. Existimat quoque Genebrardus, horum Israelitarum plerosque in Americam penetrasse, nam ibi sepulchra subterranea cum Hebræicarum literarum inscriptionibus reperia sunt.

10 Adnotat autem Cornelius quod multi ex prænominatis Israelitis hanc prævidentes captivitatem fugerant in alias Provincias, multi etiam veri Dei cultores migrarunt in tribum Judã, eique se iunxerunt: in idque conferunt quæ libavi *tom. 1. dissert. 1. sect. 4. num. 10. & 11.* adduntque Torriellus, & Salianus plures etiam ex pauperibus, & agricolis relictos suis in sedibus.

11 Inter captivos igitur nominatim Tobias senior fuit, vir sanctissimus: divina utique

que providentia, vt & bonis esset in captivitate solatio, & malis ad meliorem vitam incitatio, & exemplo, sibi autem, multorum meritorum incrementa cumlaret: *Cum captus esset* (inquit sacer text. *Tob. cap. 1. v. 1.*) *in diebus Salmanasar Regis Assyriorum, in captivitate tamen positus viam veritatis non deservit.*

12 Sed hinc haud exigua suboritur difficultas; quomodo enim in diebus Salmanasaris ductus fuit in captivitatem, cum in eodem lib. *Tob. cap. 1. v. 11.* dicatur: *cum per captivitatem devenisset cum uxore sua, & filio in Civitatem Ninivem cum omni tribu sua*: Tobias quippe erat de tribu, & Civitate Nephthali, vt eod. cap. dicitur: Tribus verò Nephthali à Theglath-Phalafare ante triginta quatuor annos deportata fuit, vt supra diximus ex lib. 4. *Reg. cap. 15. v. 29.* Fit tamen obviam dicendo, illa verba *Tob. cap. 1. v. 11.* cum per captivitatem, &c. nihil aliud significare, quàm Tobiam deductum fuisse in exilium, quò ante tota ipsius tribus abducta fuerat, ita vt particula *cum*, non temporis sed loci, aut calamitatis societatem significet. Dei porrò providentia factum fuit, vt tempore Theglath, quando fere erat quinquennis puer, & patre carebat, facillè aut latere posset, aut negligi à regio Assyriorum latetino. Ita P. Salianus, *anno Mund. 3314. num. 14.*

13 Eidem expositioni lucem prætulit P. Gaspar Sanchez in *cap. 1. Tobia*, ipsique adheret. Evenit denique hæc vltima Israelitici Regni internecio anno ab orbe condito 3314. quintæ Etatis 375. fundati Salom. Templi 292. Ezechia Regis Judæ 6. Osee Regis Israel 9. & vltimo. Neris Pontificis 6. Salmanasar Regis Assyriorum 5. Imperij Assyriorum 1382. Olimpiadis 10. anno 1. Romuli, & Urbis conditæ 13. ante ortum Christi Domini 739. Hanc amplector temporis rationem accuratè contextam à P. Saliano, & dict. *Mund. An.* adnotatam. Adeoque Israelis Regnum divisum à Regno Judæ stetit annis 255. vt idem Salianus, Torniiellus quoque, & alij observant, reijciantes merito contraquirem Josephi Chronologiam traditam lib. 9. *Antiq. cap. 14.*

14 Ac ne id prætereundum est, quò licet lib. 4. *Reg. cap. 17. v. 18.* dicatur: *Non remansit nisi tribus Judæ tantummodo*, tamen non excluditur tribus Benjamin, quæ vna cum tribu Judæ reputabatur ex notatis tom. 1. *dissert. 1. sect. 4. num. 9.* Et hoc tom. *dissert. 6. sect. 1. num. 10. & 11.*

SECTIO SECUNDA.

TRIPLEX CIRCA INITIUM BABYLONICA captivitatis sententia refellitur.

QUAMVIS extincto Israelitico Regno, ad plures annos steterit Regnum Judæ, istud tamen sub Sedecia Rege in Babilonicam, Septuaginta annorum incidit captivitatem, de qua nunc disserere agredimur, & quidem in præsentī enodanda difficultate iam pridem multorum Interpretum, & Chronologorum defudavit industria; quoniam licet de septuaginta annorum Babylonice captivitatis numero aperte in Sacris literis constet, præcipuè *Hierem. cap. 25. v. 11. Et cap. 29. v. 10.* nec non *Danielis, cap. 9. v. 2.* cuius hæc sunt conspicua verba: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni.* Nihilominus tam de initio, quam de fine huius periodi suscipitur disputatio, immo haud parum negotij facessit, eos 70. annos præcisè exponere, quamvis de ipsis ambigere non liceat.

1. Prima opinio perantiqua sat̄is, cuius

Triplex circa initium Babil. &c. Sec. 2. 231
meminit Eusebius, tacitis tamen eius placiti Auctoribus, inquit, primum illorum septuaginta annorum fuisse decimumtertium annum Regis Josiæ, quo scilicet anno, aggressus est vaticinare Jeremias, & imminentes Populo Iudæorum calamitates denūciare. Cui sententiæ adhæsit pariter Pat. Samerius in sua Chronolog. Caterum nec eo anno, nec alio aliquo Josiæ Regis, inchoari potuisse præfatos 70. annos, ex eo deducitur, quod neq̄ illo decimotertio anno Josiæ, nec toto tempore Regis huius, gravem ullam Judæis contigisse calamitatem, ex Sacra pagina constat; hoc Deo singulari Josiæ pietati indulgente, nempe, ne is quoad viveret, cerneret mala, quæ Judæos propter eorum scelera manebant; sic enim *Regum, lib. 4. cap. 22. v. 20.* legimus, Deum Josiæ per Sacerdotes, & Holdam Prophetidem locutum, nempe, *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum tuum.*

3. At dicas, quomodo in pace mortuus Josias dici queat, cum ex eodem *lib. 4. Regum, cap. 23. v. 29. Et lib. 2. Paralip. cap. 25. v. 23.* compertum sit, Josiam opido vulneratum in prælio, quod contra Regem Ægypti agebat, mortuum fuisse? Respondetur, in pace esse

sepultum, quoniam servi sui asportaverunt eum in Hierusalem, & ibi sepultus in Mausoleo patrum suorum, antequam advenirent Populo Judæorum mala, quæ Dominus illi prædixerat. Et de hoc iterum infra, ubi alia solventur argumenta, quibus opinio ista fulciri possit.

4. Secunda opinio est, hos septuaginta annos numerandos à primo anno Imperij Nabuchodonosoris, quo scilicet anno primum captus est Rex Joakim. Ita Nicolaus de Lira, etiam eam opinionem memorans in Chronicis Eusebii multo antiquiorem fuisse, ostendat, eamque probavit Severus Sulpitius in *lib. 2. Sacra Hist.* nec non Vatablus in *Annotationibus ad 9. cap. Danielis*; hoc tamen discrimen inter hos reperitur AA. quòd Liranus in *Commentarijs suis super primum cap. lib. Esaræ*, secutus Historiam Scholasticam, captivitatem Regis Joakim, octavo anno Regni eius accidisse putat, cum tamen alij tertio ipsius Regis anno captum eum esse, teneant, ut conceptis verbis tenet Daniel, *cap. 1. v. 1.*

5. Ideoque hæc sententia rejicitur, quoniam Regis Joakim captivitas contigit tertio anno Regni eius, ut tradidit Daniel in Prophetiæ suæ exordio, ibi: *Anno tertio Regni Joakim, Regis Judæ, venit Nabuchodonosor, Rex Babilonis*

Triplex circa initium Babil. &c. Sec. 2. 233
in Hierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Joakim Regem Judæ, & partem visorum domus Dei: falsum igitur est, quòd captivitas Joakim evenit octavo eius anno.

6. Propterea alij asserunt, anno tertio, vel certe inchoato quarto Joakim, ipsius captivitatem coepisse, & simul captivitatem à Daniele, & Jeremia prædictam, de qua differimus; ideoque incipiente Babilonico Imperio, seu primo anno Regis Nabuchodonosoris inchoatam, finitoque illo Babilonico Imperio, desisse captivitatem Judaicam, quando expugnata Babilone à Cyro, data est libertas Judæis. Huic placito favent Hebræi, Clemens Alex. & Berosus, ac præcipue Christophorus à Castro, qui hanc questionem ex professo tractat. in *cap. 29. Jerem.* tum Sapientiss. V. P. Ribera Maioris Archiepiscopalis Salmanticensis Collegij quondam faustissima proles, in *cap. 1. Zachariæ. n. 2. 1. & seq. P. Gordonus in Chronolog. cap. 13. ad periodum 6. num. 6. Barradas tom. 1. lib. 5. cap. 17.*

7. Illustravit quoque eandem opinionem Dominus Doct. D. Christophorus Garcia Guillen de Paz, Philosophiæ Cathedræ in Pintiana Academia Moderator, Maioris, olimque mei, celeberrimi S. Crucis Collegij purpurea Fascia decoratus, Civitatis patriæ Ecclesiæ Sacrarum literarum primum Interpres, mox ad Po-

pulum è suggestu erudiendum Canonicus, vir sanè Nobilis, ac pius, ingenioque clarus, qui enumerat 70. annos captivitatis Babylonica à primo labente anno Nabuchodonosoris Regis, quo Daniel cum Socijs, victo Joakimo Rège Judà, captivus Babylonem abductus est, vsque ad ineuntem annum primum Cyri, quò captivitas absoluta est: sic ergo supputat 70. annos, consignatque 45. Nabuchodonosori, 23. Evilmerodach, 3. Balthasari, quòrum ultimus, vtpote incompletus, non venit ad numerandum cum reliquis, & ita remanent 70. anni completi initio Regni Cyri. Ita docet tom. 3. *Methodi Isagogica in Sacram Paginam, lib. 3. cap. 10.* Ubi etiam asserit 70. annos desolationis Urbis, & Templi, qui à plerisque confunduntur cum annis 70. captivitatis, colligendos esse à 19. anno Nabuchodonosoris, cuius mense 5. facta est desolatio *lib. 4. Reg. cap. ult.* vsque ad annum secundum Darij Regis in hunc modum: 27. Nabuchodonosoris, 23. Evilmerodachi, 3. Balthasaris, 7. Cyri, 8. Cambysis, 2. Darij. Secundus enim annus Darij erat septuagesimus à desolatione; nam ultimus annus incompletus Regni Balthasaris completur ex aliquot mensibus, quibus cæteri Reges ultra designatum tempus regnarunt. Ex quibus (pergit Author) intelligitur

Triplex circa initium Babil. &c. Sec. 2. 235
locus *Danielis cap. 9.* & constat Jeremiam de annis captivitatis, Zachariam verò de annis desolationis verba facere.

8. Opus hoc M. S. præstantissimi huiusce Collegæ, inscriptum *Methodus Isagogica in Sacram Scripturam, quatuor Voluminibus comprehensa, tum Commentaria in omnem Summam Theologicam D. Thomæ, & in quatuor libros Mag. Sententiarum*, aliaque ipsius sapientiæ monumenta asservantur in copiosa valde, & inelyta prædicti Collegij Bibliotheca. Et quidem libens huic adstipularer sententiæ, præsertim ob V. P. Ribera, ac Dòmini Garcia Guillen observandam, & caram mihi Auctoritatem; at, Num (aiebat Plato, *de Rep. dial. 6.*) *familiarius aliquid Sapientiæ, quam veritas? Nihil.*

9. Idcirco veritatis iusto amore oppugnanda videtur prælibata opinio, ex eo quòd hoc anno quarto Joakim, parvâ, videatur fuisse Judæorum captivitas; solus enim Daniel, & pauci alij cum Joakim abducti sunt in Babylonem. Tum quia hi septuaginta anni passim à Jeremia, Zacharia, & interpretibus vocantur anni desolationis, & captivitatis Judaicæ, vt cum ait Josephus *lib. 10. Antiquitatum, cap. 11. factum est vt Judæa cum Hierosolimis, ac Templo per septuaginta annos deserta maneret: at Templum à Joakimi transmi-*

gratione desertum non fuit, sicut nec Civitas; cum in ea totos adhuc undecim annos Sedecias regnaverit, ut constat ex 2. *Paralip. cap. 26. §. 11.* & consequenter nec Judæa, nec Hierosolima deserta, aut desolata fuit: igitur à Joakimi captivitate non potest incipere tempus septuaginta annorum magnæ illius vastationis, & captivitatis Babylonicæ: alia argumenta infra dabimus.

IO Tertia opinio ait, computandos septuaginta annos à transmigratiōe, seu captivitate Jechoniæ, sed pro huius asserti intelligentia ad nota, quatuor fuisse Josiæ Regis filios, ut deducitur ex 1. *Paralip. capit. 3.* diximusque *Dissert. 9. Sect. 2.*

II Mortuo igitur Josia, ipsius Regnum obtinuit Joachaz 4. *Regum 23. §. 30.* sed exautorato Joachaz, & in Ægyptum ducto, beneficio, seu potentia Regis Ægypti, regnare cœpit Eliazim, qui voluntate, & iussu Regis Ægypti Joakim fuit postea dictus, & regnavit annis 11. in Hierusalem *lib. 4. Regum, cap. 23. §. 36.* cumque obiisset Joakim, in ipsius locum substituit Nabuchodonosor Joachinum, eius filium, qui frequenter Jechonias nuncupatur, ut in *lib. 1. Paralip. cap. 3. §. 16.* Et *Jerem. cap. 27. §. 30.* notatque Salianus, *Anno Mund. 3436. numer. 12.*

12 A captivitate igitur, seu transmigratiōe huius Regis Jechoniæ computant 70. captivitatis annos Rabi Salomon, Caietanus in *Commentario super ult. cap. posterioris libri Paralip.* eamque sententiam solam veram censet Scaliger *lib. 6. de Emendatione temporum.* Cæterum adversus hanc opinionem facit, quod per undecim annos post Jechoniæ captivitatem in Judæa regnavit Sedecias *lib. 4. Regum, cap. 24. §. 18.* Et *lib. 2. Paralip. cap. 36. §. 11.* Sedecia autem regnante, stetit & vrbs, Templumque, & regio ipsa, ac terra Judæorum culta, & habitata fuit: quæ sanè prælibatis de Judæorum captivitate, & eorum regionis, ac Templi vastatione, & desolatione, oraculis, non rectè coherent, ut ex dicendis clarebit amplius.

SECTIO TERTIA.

NOSTRAM SENTENTIAM PROPONIT,
ac fulcit; & opposita exinde ulterius
refelluntur.

13 QUARTA sententia longè probabilior, ut reor, ait, non aliunde septuaginta annos captivitatis, quam ab ultima clade Hierusalem, vrbs scilicet,

cer, Templique conflagratione sub Rege Sedecia inchoandos esse. Ita exaratum nobis reliquerunt plurimi, ac gravissimi AA. & quod plus est, hanc sententiam in Divinis literis dilucidè consignatam opinor. Stant ergo ab ipsa Josephus *lib. 10. Antiquit. capit. 11.* ubi, *Rex vero Babylonius, inquit, pro abductis duabus tribubus Judæ nempè, & Benjamin, nullam gentem in regione reposuit, quo factum est, ut Judæa cum Hierosolimis, ac Templo per septuaginta annos deserta maneret.* Quomodo & in græco habetur; & iterum contra Apionem *lib. 1.* omnes, ait, suo subiecit Imperio, & Templum in Hierosolimis concremavit, cunctumque generis nostri populum auferens, migravit in Babylonem, unde Civitatem, contigit desolari annis septuaginta usque ad Cyrum Regem Persarum. Ecce annos 70. à Templo cremato, & totius Populi, non partis alicuius captivitate.

2 Josephus idem *lib. 11. Antiq. cap. 1.* ait, Isaiam prophetasse de Cyro 210. annis, antequam is solveret captivitatem, & mox addit, eandem prophetiam factam annis 140. antequam Templum devastatum est: ergo necessario ab everso Templo ad Cyrum septuaginta annos numerat; quoniam 140. & septuaginta reddunt 210. annos. Et iterum *lib. 1. contra Apionem*, eandem tradit Chronologiam. Ab eadem

Nostram sententiam prop. 6. Sec. 3. 239
dem sententia steterit Clemens Alex. *lib. 1. Strom. ad medium*, Julius Africanus *lib. 5. Annal. Eusebius in Chronico, & lib. 10. de Preparatione Evangelica, cap. ult. Et lib. 8. de Demonstratione Evangelica in disputatione de 70. hebdom.* Lactantius *lib. 4. Divina Inst. cap. 5.* Erculf. *tom. 1. lib. 3. cap. 17.*

3 Ex PP. illustrant D. Hieron. *super 4. Ezechiel. & in Proemio sup. lib. Aggæi Prophetæ.* Cyrillus Alex. *lib. 8. Adversus Iulianum.* Isidorus *in lib. 5. Etymolog. capit. ultim.* Beda *lib. de 6. Aetat. Mundi.* Eadem etiam est sententia multorum, & nobilium Recentiorum, præsertim doctissimi P. Pererij *lib. 10. in Daniel.* Villalp. *tom. 3. 1. part. lib. 3. capit. 1.* Torniel. *5. Aetate, anno 407. num. 9. Et 6. Aetate, anno 1.* & aliorum in fine *lib. 4. Reg. Caroli Sigonij cum Sulpitio Severo, initio lib. 2. Sacra Historiæ*, & in re Chronologica apprime eruditus P. Salianus *An. Mundi 3429. num. 9. & seqq.* illam illustrat.

4 Sed animadvertendum, quòd D. Hieronimus alicubi desolationem Templi non in primo anno Cyri, sed in secundo Darij Histaspis asserit terminari, & in *Prologo Aggæi, & in capit. 4. Ezequielis*, primum Cyri annum dicit, esse trigesimum desolationis Templi, quæ est ferè sententia Eusebij in Chron. propter non dis-

240 *Sacra Chronologica, dissert. decimas.*
distinctum initium Regni Cyri ab initio Imperij eius.

5 Dicimus ergo, prædictos à Jeremia septuaginta annos à morte Sedeciae, & Judaici Regni interitu esse auspicandos: Primum quoniam ea videtur Jeremiae ipsius clara sententia *cap. 25.* quæ exactius ab ipso initio explicanda est, ut optimè notat Salius, in illius quippè recta intelligentia tota ferè res posita est: *Verbum, inquit, quod factum est ad Jeremiam de omni Populo Judæ in anno quarto Joakim filij Josie Regis Judæ, ipse est annus primus Nabucodonosoris Regis Babylonis.* Hac Jerem. *dict. cap.* in cuius Prophetiæ exordio duo observanda veniunt; primum est, captivitatem hoc vaticinio mox prædicendam esse de omni Populo, non de parte solum, qualis fuit, quæ tertio Joakimi anno, & tertio Jechoniae contigit.

6 Alterum, quod notare expedit, est, hanc Jeremiae prophetiam editam anno quarto Joakimi, quæ cum Prophetia sit, & in futurum tradatur, natura sua, ac Propheta ipse futuro tempore semper vtatur, ut mox patebit, non oportet septuaginta annos inchoatos esse, antequam prædicantur; quod tamen contingeret, si vera esset prima supra reiecta opinio-

Nostram sententiam prop. 6. Sec. 3. 243

9 Porro autem tria hic perpenenda sunt; primum enim prædicitur venturus Nabucodonosor. Secundò prædicitur investurus calamitatem, quæ Judæis communis futura esset cum circumpositis nationibus, quod non contigit, nisi post mortem Sedeciae, ut patet ex dictis. Tertio prædicitur calamitas cum duabus circumstantijs, quarum utraque pluribus inculcatur verbis, ut altius mentibus infideat: prior est, fore talen calamitarem, quæ desolationem invehat, quod soli captivitati à morte Sedeciae convenit, ideoque tubdit: *perdamque ex eis vocem gaudij, & vocem latitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem moeroris, & lumen lucernæ, & erit universa terra hæc in solitudinem, & stuporem;* quomodo autem solitudo fuit in hac terra à tempore Josiæ Regis, vel postea in tertio, aut quarto anno Joakimi, in qua is septem adhuc regnavit annis, Joachinus, seu Jechonias tribus mensibus, Sedecias vndecim annis.

10 At verò in captivitate Sedeciae scriptura docet *lib. Reg. 4. cap. 25.* Templum fuisse incensum, urbem direptam, & desolatam, Regnum Judæ destructum, Judæos omnes, aut ferro, igneque consumptos, aut captivos Babylonem miserimè abductos, etiam qui ab hoste relictii fuerant in Judæa, paulo post in

Ægyptum profugisse, denique omnem Judæorum regionem in vastitatem, solitudinem, ac desolationem esse redactam. Posterior circumstantia huius cladis est diuturnitas eius, de qua subditur: *Et servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis*: Illos igitur 70. annos captivitatis, quos Divina Scriptura vocat annos solitudinis, vastationis, & desolationis non ab alio temporis initio, quàm à tempore captivitatis Sedeciæ ordiri oportet.

SECTIO QUARTA.

EX ALIJS SACRÆ SCRIPTURÆ locis sententia nostra fulcitur.

ILLUSTRATUR tertio ex Prophe-
ta Daniele, qui Jeremiam interpretatur *cap. 9. v. 2.* his verbis: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni*: non dicit captivitatis præcisè, sed desolationis, quomodo in Hebræo, Græco, & Chaldæo legitur; alludit enim ad ipsam et verba Jeremiæ, quæ illam solitudinem, ac desolationem inculcant: ubi D. Hieronymus inquit: *Prædixerat Jeremias septuaginta*

Ex alijs Sacra Scriptura, &c. Sec. 4. 245
annos desolationis Templi, post quos, rursus veniret Populus in Judæam, ut edificaretur Templum, & Jerusalem, scilicet primo anno Cyrus, ubi perpendendum est à desolatione Templi incohandos annos septuaginta iuxta Doctorem Maximum; at Templum in vndecimo anno Sedeciæ concrematum fuit: igitur ante id temporis prædicta à Jeremia desolatio non est computanda.

2 Illustratur quartò eadem sententia ab alio Sacro Historico *lib. 2. Paralip. capit. 36. v. 20.* qui postquam dixit, hostes incendisse domum Dei, & destruxisse murum Jerusalem, & universas turres combussisse, subdit: *si quis evaserit gladium, ductus in Babilonem, servivit Regi, & filijs eius.* Quod si quæramus, quandiu servituri erant, qui ab incenso Templo, & everfis muris Jerusalem evaserant gladium? Respondet, *donec imperaret Rex Persarum*, Cyrus nempe, qui eos primo imperij sui anno dimisit, ut statim subdit; si rursus quæramus, quot annorum futura erat illa servitus, iterum respondet, & vocat eam desolationem septuaginta annorum à Jeremia prædictam, ait enim: *& compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra Sabbata sua*, quo tempore Judæis nec serere, nec metere licebat, tam die septimo, quàm anno sep-

timo: pergit: *cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni*; nunc sic, cunctis diebus desolationis à Jeremia prædictæ sabbatum egit Judæa; sed ante Sedeciaë captivitatem in Judæa regione sabbatum istud non agebatur cunctis diebus, siquidem colebatur terra, & satio, & messis suis temporibus aderat; stabat quippè incombustum Templum, persistebatque Regnum, regnantibus in eo Joakimo vndecim annis, & mox totidem Sedecia: igitur usque ad captivitatem Sedeciaë, quando nimirum Templi, & Regni vastitas coepit, inchoari non debent anni 70. captivitatis, seu desolationis.

3 Illustratur quintò ex Isaia, *capit. 23. ubi de Civitate Tyri à Chaldaïs devastanda locutus, v. 15. sic ait: In oblivione eris, ò Tyre septuaginta annis, sicut dies Regis unius* (id est quantum tolet homo vivere, cuius vita, etiam si Rex sit, ferè septuaginta annis terminatur, vt David); *post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis*, (quæ scilicèt cantu suo allicit amatores): *& erit post septuaginta annos: visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas*; atqui constat, Tyrum anno proximo à deleta Jerosolima captam fuisse: ergo ab eo etiam tempore anni Jerusalem numerandi, siquidem Jeremias illos septua-

Ex alijs Sacra Scriptura, &c. Sec. 4. 247
 tuaginta annos, tam Judæis, quam Tyrijs, & Sidonijs, & Palestinis, cunctisque Regibus Arabiæ, & occidentis communes facit, qui omnes eodem propè tempore iugum Babylicum subiere.

4 Idque vt magis in clarescat, notandum ex Prado in *cap. 26. Ezechiel, v. 8.* iuxta Chronologiam Hebræorum, captam fuisse Tyrum anno 13. Nabucodonosoris; id tamen manifestum continet, vel mendum librariorum, vel errorem historiæ, cum etiam anno 11. Sedeciaë, qui concurret cum 19. Nabucodonosoris, vt patet ex Jeremia *cap. 52. v. 5. & 12.* revelatum sit Ezechieli *cap. 26.* Tyrum exultabundam proptè everisionem Jerusalem dixisse: *Confractæ sunt porta Populorum, deserta est* (nempè Jerusalem); *implebor ego* (nempè Tyrus): *deserta est.* Constat igitur anno 19. Nabucodonosoris superstitem adhuc fuisse Tyrum: non fuit ergo desolata, neque subiugata anno 13. dicti Regis.

5 Fortassè, inquit, P. Prado, legendum est, anno 23. quod est veritati consentaneum, loquendo præsertim de desolatione Tyri; nam vt Auctor est, præter Ezechielis contextum, Clemens Alexandrinus eadem expeditione coepit Nabucodonosor Jerusalem, & Tyrum, quamvis tunc non fuerit desolata: cum

igitur tres annos, & menses decem, tradente Philostrato, duraverit Tyri obsidio, consequens est anno 23. Regni sui illam expugnasse Nabucodonosorem; nam à 19. in quo capta est Hierusalem ad 23. quatuor numerantur anni. Favet huic ratiocinio Isaias *capit. 23. v. 17.* dicens, post septuaginta annos Tyrum rursus instaurandam, eodem scilicet tempore, quo Jerusalem reedificari, præcepit Cyrus: ex quo non invalido argumento colligitur, eodem ferè tempore fuisse desolatam. Sic Prado.

6 Hic tamen, etsi diligens, & per doctus Scriptor in eo falli videtur, quòd apud Josephum legi asserat, Tyrum obsessam solùm tres annos, & menses 10. quoniam apud Josephum in græcis, latinisque Codicibus tredecim numerantur anni; Chronologia etiam Hebræorum *cap. 26. fine.* habet, Tyrum desolatam, & traditam in manibus Nabucodonosoris, anno decimo tertio, non regni eius, sed obsidionis, & anno proximè sequenti, vastationem Jerosolymorum supervenisse.

7 Quibus prænotatis, hæc pro re nostra fieri valet complexio: Tyri captivitas, & Judæorum desolatio eodem anno, & simul ac pro eodem ferè tempore prædictæ fuerunt à Jeremia; sed Tyrus non fuit capta à Rege Babylonis vsque ad ipsius annum decimum nonum: igitur

Ex alijs Sacræ Scripturæ, &c. Sec. 4. 249
igitur nec desolatio Jerosolymorum, nec Judææ Regni vastitas vsque ad id ferè tempus cœpit, id est, vsque ad annum præcedentem Tyriorum captivitati.

8 Omnia patent, & in primis consequentia est legitima; deinde assumptio prima liquet ex Jeremia *capit. 25. v. 9.* aiente: *Et assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabucodonosor Regem Babylonis, servum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt.* Ubi non solùm Judæos, sed omnes etiam gentes, quas enumerat ibidem, Regi Babylonis septuaginta annis servituras, affirmat *v. 11.* *Et servient, ait, omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis:* in quibus *v. 22.* cunctos Reges Tyri, & unversos Reges Sidonis annumerat: patet ergo quòd simul, nempe quarto anno Joakimi, filij Josiæ, & anno primo Nabucodonosoris, Regis Babylonis, ut ipse Jeremias ait, *cap. 25. v. 1.* vaticinatus est Babylonicam captivitatem, & Judææ desolationem, Tyrosque, & Sidonios clientes, & vectigales Regis Babylonis futuros esse annis septuaginta.

9 Denique assumptio secunda liquida fit, nam in desolatione Jerosolymæ, ut ex Ezechiele constat, adhuc Tyrus capta non fuerat, sed

sed potius exultabunda dicebat: *deserta est*, scilicet Jerusalem, ut notatum manet; at Hierosolyma capta fuit, & concremata anno undecimo Sedeciae, & decimo nono Nabuchodonosoris, ut patet ex *Jeremia cap. 52. v. 5. Et fuit Civitas obsessa usque ad undecimum annum Sedeciae. Et ver. 12. in mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor Regis Babylonis: venit Nabuzardan Princeps Militiae, qui stabat coram Rege Babylonis in Jerusalem, & incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domus Jerusalem: igitur usque ad id temporis non fuit capta Tyrus, & consequenter illi anni septuaginta servitutis Judaeae desolationis initium non habuere usque ad ipsum idem tempus incensae Urbis, ac Templi.*

SECTIO QUINTA.

PRÆCLUDIT ADITUM SOLUTIONI,
quam Auctores aliqui argumentationi
nostrae adhibent.

AT argumentationem infringere nostram conaberis forsitan ex sententia Sapientissimi Domini Guillen de Paz, praecitati *sect. 2. num. 7.* nunquamque satis à me laudandi, aientis, desolationis annos sep-

septuaginta utique numerandos ab anno nono decimo Nabuchodonosoris, quando Templum, ac Hierosolyma conflagrarunt, anno videlicet undecimo, & ultimo Sedeciae Regis; cæterum septuagenariae Judaeorum captivitatis initium retro sumendum esse, nimirum ab anno quarto Joakimi Regis Judaeae; & de hac septuagenaria captivitate locutum fuisse Jeremiam, *capit. 25.*

2 Concinit ferè huic placito per doctus, iuxtaque eruditus P. Dionysius Petavius *de Doctr. temp. tom. 2. lib. 12. cap. 14.* ubi asserit, captivitatis annos septuaginta nusquam desolationis, id est vastitatis Urbis, ac Templi nominari: sed in eorum partem duntaxat, & quidem maiorem illam vastitatem incubuisse. Jeremias enim id expressè demonstrat *capit. 25.* nimirum integrum ipsum spatium servituti vastationi, & solitudini terrae totius esse praefinitum; terrae non Judaeorum solum, sed earum omnium nationum, quas Babylonio Regi servituras esse denuntiat. Itaque *vers. 11.* cum dicit: *Et erit universa terra haec in solitudinem, & stuporem, &c.* non modò Judaeam, sed etiam finitimarum gentium terram complectitur; etenim *v. 9.* adducturum se Nabuchodonosorem comminatus erat non solum super terram istam, hoc est Judaeam, sed etiam super omnes

nationes, quæ in circuitu illius sunt. Quas quidem, & agros illarum Nabuchodonosor ab anno tertio, quartoque Joakimi vastare, atque expugnare cœpit. Et ut *solitudinis* vocabulum, *vers. 11.* ad Hierosolymorum desolationem restringere velimus, tamen septuaginta, qui subiiciuntur, anni ad proxima verba referendi sunt: *Et seruiant omnes gentes istæ Regi Babylo-*

3 Finis itaque tam desolationis, quàm septuagenarij spatij est annus septuagesimus: initium verò desolationis longè inferius est epocha septuaginta annorum, quam Jeremias desinit: & hunc esse Danielis sensum *cap. 9. v. 2.* vbi iuxta editionem septuaginta, Sixtianam sic legitur: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, cuiusmodi factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ad complementum solitudinis Ierusalem, septuaginta annos; quoniam maiorem eius temporis partem Urbis vastitas occupavit. Nisi quis desolationem interpretari malit, ut sit Urbis calamitas, & imposita pendendi tributì necessitas, quæ ab anno quarto Joakimi in Judæos redundarunt, sic P. Petavius.*

4 At pacè, debitaq; his præclaris Auctoribus salva honorificentia, nostra instauratur argumentatio. Primò, quoniam desolatio nis anni sep-

septuaginta terminantur etiam primo Monarchiæ Cyri anno, ut infra plenius ostendemus; deduciturque ex *lib. 1. Esdræ, cap. 1. v. 1.* vbi hæc habentur: *In anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur Verbum Domini ex ore Jeremia, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: & traduxit vocem in omni Regno suo, etiam per Scripturam dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Quis est in vobis de universo Populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, quæ est in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus, qui est in Ierusalem, &c.* quo edicto, & accepta libertate, surrexerunt, ut dicitur, eodem *Esdr. cap. 1. v. 5.* *Principes patrum Judæ, & Benjamin, & Sacerdotes, & Levita, & omnis cuius Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum Templum Domini, quod erat in Ierusalem.*

5 Pergit verò Esdræ textus *cap. 2. v. 70.* & ait: *Habitaverunt ergo Sacerdotes, & Levita, & de Populo, & Cantores, & Ianitores, & Nathinai in Urbibus suis, universusque Israel in Civitatibus suis.* Porro autem hæc omnia evenerunt intra septimum mensem anni illius primi Cyri Persarum Regis, ut ex *Esdr. cap. 3. v. 1.* edocemur, ibi: *Iamque venerat mensis septimus, & erant filij Israel in Civitatibus suis:*

254 *Sacra Chronologica dissert. decima.*
fuis: congregatus est ergo Populus quasi vir vnus
in Ierusalem.

6 Unde rectè subducitur, illo primo Monarchiæ Cyri anno, nedum Judæorum finitam captiuitatem, liberationemque eorundem adeptam, verùm & Urbis Ierofolymæ, ac Judæ terræ desolationem absolutam, cum vniuersus Israel ex tunc in Civitatibus suis habitasset; proindeque videtur stare non posse quod præclarus Doctor Dominus Guillen de Paz edocet, desolationis videlicet annos septuaginta vsque ad secundum Darij annum protractos fuisse, adeoque decem septem vltius annos perdurasse huiusmodi vastitatem, nempe septem Imperij Cyri, octo Cambisis, & duos Darij Hystaspis.

7 Id inquam infringitur; quoniam anni septuaginta Babylonicæ captiuitatis à Jeremia prænuntiati *cap. 25.* sunt ipsi desolationis, ac solitudinis, vt constat ex eodem Jeremiæ textu, ac vaticinio; nam *commate 10. & 11.* sic inquit *Perdam ex eis vocem gaudij, & vocem letitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem mola, & lumen lucernæ, & erit vniversa terra hæc in solitudinem, & in stuporem: & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* En desolationem fatis perspicuè à Jeremia denuntiata.

Quòd

Præcludit aditum solutioni, &c. Sec. 5. 255

8 Quòd si desolationis voci insistat quippiam, eaque velit significari aliud tempus præter captiuitatis, id desringitur ex Daniele, Jeremiæ interprete *cap. 9. v. 2.* vbi inquit: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.* Igitur captiuitatis septuaginta anni, à Jeremia prædicti, fuerunt ipsi vastitatis, solitudinis, & desolationis Ierusalem; ideoque D. Hieronymus eo loci Danielis, ait: *Prædixerat Jeremias septuaginta annos desolationis Templi, post quos rursus veniret Populus in Iudæam, vt edificaretur Templum.* Idem etiam sentit Iosephus *lib. 11. Antiq. cap. 1. Et lib. 10. cap. 10.*

9 Dices aliter: Templum non fuit reedificatum, & absolutum vsque ad annum sextum Darij Hystaspis, vt edocemur ex *lib. 1. Esdræ, cap. 6. v. 15.* ibi: *Et compleverunt domum Dei istam vsque ad diem tertium mensis Atar, is est duodecimus anni sacri, qui est annus sextus Regni Darij Regis.* Igitur Templi desolatio finita non fuit anno primo Imperij Cyri, sed postea anno sexto Darij. Respondetur, quòd licet Templi ædificatio seu mitauratio completa non fuerit vsque ad illum Darij Regni annum sextum, tamen cœpit extrui, & ædifi-

ca-

cari, Imperij Cyri secundo anno, vt liquidum fit ex eodem *lib. 1. Esdrae, cap. 3. v. 8.* ibi : *Anno autem secundo adventus eorum ad Templum Dei in Ierusalem, mense secundo coeperunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Levites, & omnes, qui venerant de captivitate in Ierusalem, & constituerunt Levitas à viginti annis, & supra, vt urgerent opus Domini. Stetitque Josue, & filij eius, & fratres eius, Gedmibel, filij eius, & filij Judà quasi vir unus, vt instarent super eos qui faciebant opus in Templo Dei.*

10 Imo anno superiori, ac primò adventus, & liberationis Judæorum à captivitate Babylonica, & septimo mense *adificaverunt Altare Dei Israel, vt offerrent in eo holocausta, sicut scriptum est in lege Moysi, prout inquit Esdras lib. 1. cap. 3. v. 1. & 2. ac ver. 5.* subdit: *Et post hæc holocaustum iuge tam in calendis, quam in universis solemnitatibus Domini, quæ erant consuetæ, & in omnibus in quibus ultro offerbatur munus Domino.* Equidem desolatam verè, seu formalitèr dici non potest Templum, eo tempore, quo iam holocaustorum, & sacrificiorum vsus in eo fuerat planè restitutus. Nec dubitandum, inquit P. Salius, *Anno Mundi 3517.* collocatum fuisse illud Altare eodem loco, quo ante steterat.

Sic

11 Sic ergo differo: vel Templi desolatio finiri censenda est in ipsius consumata ædificatione, vel dum cœpit ædificari, & instaurari: si primam, profectò consumatum non fuit anno secundo Regni Darij, vt ex prælibato *textu lib. 1. Esdrae, cap. 6. v. 15.* liquidum fit: proindeque, nec eo anno secundo terminata fuit illius desolatio, licèt oppositum censuerit pereruditus Collega meus Dominus Guillen de Paz. Si secundam, finita fuit desolatio aliquot retro annis, nempe anno secundo Imperij Cyri, & adventus Judæorum in Ierusalem; imo & anno primo eiusdem adventus, ac libertatis, quando iam Altare constructum fuit, & Sacrificia offerri cœperunt.

12 Secundò eadem sententia rejicitur: desolatio quippè, & vastitas à Jeremia, & Daniele denuntiata, non fuit solius Urbis Ierusalem, & totius Judææ Regni; sed etiam Templi: constat ex *dic. Jerem. capit. 25. v. 11.* hiscè verbis: *Et erit universa terra hæc in solitudinem, & in stuporem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Sed hi septuaginta servitutis anni finem acceperunt in anno primo Cyri, Persarum Imperatoris; igitur & Templi desolatio tunc quoque finita fuit. Prima assumptio liquida videtur ex Jeremiæ vaticinio: siquidem nequivit non desolatum

R

tum

tum esse Templum, quando omnes Judæi in Babylonem abducti fuerant, per paucis exceptis; & quando Civitas Jerusalem in stuporem erat constituta, & concremata.

13 Inclarescitque ex lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 19. & sequentibus, ubi de ingenti clade à Nabuchodonosoris exercitu in Jerosolymam inducta asseritur: *Invenierunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem, universas turres combasserunt, & si quid pretiosum fuerat demoliti sunt. Si quis evaserat gladium ductus in Babylonem, servivit Regi, & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum, Cyrus videlicet, & compleretur sermo Domini ex ore Jeremie, & celebraret terra sabbata sua, cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremie, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: qui iussit predicari in universo Regno suo, etiam per Scripturam, dicens: Hec dicit Cyrus Rex Persarum: omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus Cæli, & ipse precepit mihi, ut edificarem ei domum in Jerusalem, qua est in Judæa: quis ex vobis est in omni Populo eius? Sit Dominus Deus suus eum eo, & ascendat.*

14 Quo in textu primo certum est, sermonem

nem esse de septuagenaria Judæorum captivitate Babylonica prænuntiata à Jeremia, ibi: *Ut compleretur sermo Domini per os Jeremie. Secundò, hi etiam septuaginta anni nuncupantur desolationis, ibi: Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni: igitur Jeremie prædictio non fuit solum de captivitate Judæorum in Babylone, sed simul de vastitate & desolatione Urbis, ac Templi, & totius regionis eorû. Secunda autem superior & principalis assumptio patet, ex eodem sacro eloquio Paralip. ibi: *Servivit Regi, & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum.* Unde deducitur optimè consecutio prælibata, nempe Templi desolationem septuagenariam, eodem tempore finem accepisse, ac completa fuit septuagenaria Judæorum captivitas: hoc est, primo anno Imperij Cyri, liberatos à captivitate Judæos, Templumque ædificari cœptum, & instauratum usum Sacrificiorum in ipso, iuxta ea, quæ supra excerptimus, quæ initium habere à data à Cyro libertate, & revertendi in Judæam ac Jerosolymam, & instaurandi Templum.*

15 Tertio illustratur; quoniam ut ex eodem textu Paralipomenon dilucidè probatur, Templi & Jerosolymæ concrematio ab exercitu Nabuchodonosoris perpetrata, contigit

iuxta Jeremiæ vaticinium de desolatione, & captivitate annorum septuaginta Judæorum: eodem igitur anno coepit Templi desolatio, & totius regionis vastitas, incolarumque in Babylone captivitas: & consequenter eodem anno finem acceperunt.

16 Quæ argumenta nedum evincere videntur, stare non posse sententiam Domini Doct. Guillen de Paz, verum etiam falsum esse, quod docuit P. Petavius tom. 2. de Doctr. temp. lib. 12. cap. 24. videlicet, captivitatis annos septuaginta, nusquam desolationis, id est, vastitatis Urbis, ac Templi nominari: sed in eorum partem duntaxat, & quidem maiorem, illam vastitatem incubuisse: id inquam refellendum venit ex præadducto loco *Paralipomenon*; cui concinit Daniel cap. 9. v. 2. ibi: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni, ubi conspicuè anni septuaginta, prænuntiati à Jeremia, nuncupantur desolationis*: Idem est sensus Hebræi textus eodè loco, scilicet: *Ut implerentur desolationi Hierosolymarum anni septuaginta*: tum Græci Sixtianaë editionis Septuaginta, apud quos sic legitur: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, cuiusmodi factus est sermo Domini ad Jeremiam*
Pro-

Præcludit aditum solutioni, &c. Sec. 5. 261
Prophetam ad complementum solitudinis Jerusalem septuaginta anni.

17 Quæ omnia licet in sententiam suam adducere conetur P. Petavius; nihilominus in nostram quadrare, satis apertum videtur; sicut quod desolationis voce non possit intelligi, imposita Urbi pendendi tributis necessitas, & servitus, quæ ab anno quarto Joakim inducta erat à Nabuchodonosore; ingens quippè adeo fuit hæc Jerosolyma, & regionis Judæorum desolatio, ut cuactis diebus desolationis egerit sabbatum, ut dicitur *lib. 2. Paralipom. cap. 36. v. 21.* id est, nec mæsis, nec satio in ea regione fieret, nec Rex, nec Templum, nec ipsa Civitas consisteret; sicut permanserunt vsque ad annum vndecimum Sedeciæ.

18 Stabilitur insuper nostra sententia, & oppugnantur reliquæ dissidentes, ex temporis ratione; quoniam Templum & Urbis Jerosolyma coneremata sunt anno decimo nono Nabuchodonosoris, ut liquidum sit ex *lib. 4. Regum, cap. 25. v. 8.* hiscè verbis: *Mense quinto septima die mensis, ipse est annus nonus decimus Regis Babylonis*: nempe Nabuchodonosoris, ut ex initio eiusdem cap. constat, *venit Nabuzardan Princeps exercitus, servus Regis Babylonis, in Jerusalem. Et succendit domum Domini, & domum Regis: & domos Jerusalem, omnemque domum combus-*

bussit igni. Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldaeorum, qui erant cum Principe militum. Nabuchodonosor autem regnavit annos 44. iuxta posteriorem Chronologiam apud P. Salian. *Ann. Mund.* 3472. numer. 8. & seqq. Deinde Evilmerodach filius Nabuchodonosoris regnavit annos 23. iuxta sententiam, quam receptissimam dicit V. P. Franciscus Ribera in *cap. 1. Zachariae, num. 7.*

19 Balthasar tandem Evilmerodachi filius regnavit annos 21. ut optimè colligit P. Salianus *Anno Mund.* 3495. *num. 1.* demptis ergo decem octo annis quot nempe regnaverat Nabuchodonosor quando ipsius exercitus desolationem induxit in Jerosolymam, & unversam Judæorum regionem, conficitur summa annorum septuaginta vsque ad finem Regni Balthasaris, quo devicto, Cyrus cœpit regnare & Judæis libertatem indulsit: igitur tam desolatio, quam captivitas, prænuntiata à Jeremia, ab anno nono decimo Nabuchodonosoris computanda est, terminataque fuit, initio Imperij Cyri. Quæ omnia ex sequentibus amplius inclarescent,



SECTIO SEXTA.

OBIECTIONEM DILUIT, QUÆ
captivitatis Babylonica initium sub Josia Juda
Rege collocat. Ubi de everfione Ninive
Assyriorum Regiæ

I O P PONES primò: Anno decimo tertio Josiæ Regis Judæ videtur Ninive esse everfa, & Monarchia ab Assyrijs translata ad Medos, & Babylones per Cyaxarem, & Nabuchodonosorem seniores, qui fuit pater Nabuchodonosoris junioris, sive Magni, everforis Jerusalem, nam non post, sed ante Jerusalem, everfam fuisse Ninivem sub Josia, dissertè docet S. Hieron. *præf. in Jonam*, & Eusebius in *Chronicis*, idemque colligitur ex Josepho *lib. 9. Antiq. cap. 11.* ubi à tempore Joatham Regis Judæ, sub quo, ipse ait, Nahum prædixisse interitum Ninive, & usque ad eiusdem everfionem, effluxisse scribit annos 115. at qui 13. annus Josiæ est 115. ab anno ultimo Regni Joatham: ergo hoc anno 13. Josiæ videtur everfa Ninive. Audiamus S. Hieronymum, plures testes citantem: *Et revera*, inquit, quantum ad *Historias tam Hebræas, quam Græcas pertinet*, & Herodotum, legimus Ninivem, regnantem apud Hebræos Josia, &

Astiage Rege Medorum fuisse subversam. Constat autem, eam subversam à Chaldæis adiuvantibus Medis, puta à Nabuchodonosore seniore, qui hoc anno 13. Josiæ regnare cœpit. Idem confirmat Tobias *cap. ult. v. 6. 10. & sequentibus*: hoc ergo anno Monarchia ab Assyrijs translata fuit ad Medos, & Babylonios.

2 Hoc posito, sic arguitur: septuaginta anni Babylonicæ captivitatis videntur incohandi ab exaltatione Monarchiæ Chaldæorum, atqui illa cœpit statim eversa Monarchia Assyriorum; hæc autem eversa est anno 13. Josiæ, diruta Ninive, ut diximus: Igitur hi 70. anni inchoandi sunt, videlicet ab eversione Monarchiæ Assyriorum, & Regis Ninives.

3 Respondo, Ninivè sæpè captam, & eversam, & proptèr multas loci opportunitates, sæpius restitutam fuisse; sic adnotant Torniiellus *anno 5. ætatis 349.* P. Gordonus *capit. 5. Chronologia.* P. Ribera *cap. 2. Nabum, num. 34.* Salianus *Anno Mundi 3377. num. 5.* cum enim ea Civitas Imperij Assyriæ metropolis multis seculis fuisset, essetque potentia, & opibus, & sitis opportunitate in primis optabilis, quicumque Imperium Assyriæ ambiebant, eam quoque vrbem affectabant; Medi præsertim, & Babylonij, qui eo tempore potissimi erant in Assyria.

4 Igitur Ninive regnante in ea Sardana-

palo post triennij obsidionem, ut narrat Diodorus *lib. 2. Biblioth. pag. 74.* capta fuit ab ingenti exercitu, cui præerat Arbaces natione Medus, idque evenit, Oziæ, sive Azariæ Regis Judææ anno 10. ut ex Diodoro, Justino, & alijs passim, colligit P. Salianus *Anno Mundi 3235. num. 1.* Porro ab hoc tempore vsque ad Josiam Regem Judææ, intercessere Joatham, Achaz, Ezechias, Manasses, & Amòn, qui omnes per plures annos Judææ Regnum obtinuerunt, proptereaque planum est, in prima huius Ninives eversione non potuisse incohari Judæorum captivitatem, & Regni Judææ desolationem à Jeremia prædictam.

5 Secundo à Ziaxare Medo iterum capta Ninive fuit, iuxta Herodotum, vel ut inquit P. Petavii *lib. 10. de Doctrina tempor. cap. 3.* Scithæ Madie duce, in Mediam irrupere, & Ziaxarem, Ninivem obsidentem, oppresserunt, & inde per totam Assiam vagati viginti octo annis eam obtinuerunt, quod iuxta eundem Petavium contigit *Anno Mundi 3351.* & consequenter multò ante tempus Josiæ Regis, qui Regnum obtinuit *Anno Mundi 3395.*

6 Tertiò iuxta P. Serarium *capit. 14. Tobie. quest. 4.* & V. P. Riberam in *capit. 2. Nabum. num. 19. & sequentibus*, obsessa, & capta fuit Ninive, atque eversa à Nabuchodonosore.

post everfam Jerofolymam, & Alexandriam
24. aut 25. anno ipsius Nabuchodonoforis.
Catetum ex hoc nihil contra nos confici po-
teft; primò quoniam non fatis firma videtur
huiusmodi doctrina, quippè hanc Ninives
everfionem audivit Tobias Junior, vt habetur,
Tobie cap. 14. in græco exemplari, & editione
70. Interpretum, ibi: *Et mortuus est* (nempe
Tobias Junior) *æquorum centum viginti sep-
tem in Hesbathanis Mediæ, & auavit, prius
quam moreretur, perditionem Ninivis;* sed To-
bias iste mortuus fuit anno 16. Josiæ, natus
quippe fuit anno quarto Ezechia Regis Judæ,
vt colligunt PP. Serarius in *cap. ultim. Tobie,*
quest. 8. & Salianus, *Anno Mundi 3312. num. 2.*
vixitque idem Tobias annos nonaginta novem.
Tob. cap. 14. v. 16. à 4. autem anno Ezechia
ad 16. Josiæ totidem numerantur anni, vt
cernere est apud P. Salianum. Ab illo igitur
anno 16. Josiæ vsque ad 25. Nabuchodo-
noforis, anni plures quam 40. numerantur; is
enim annus 16. Josiæ recurrit cum *Anno Mun-
di 3410.* Nabuchodonotor vero cœpit impe-
rare anno 4. Regis Judæ Joakini, & *Mundi
Anno 3429.* addantur ergo 25. Nabuchodo-
noforis fientque anni 3454. igitur non potuit
Ninives sub versio sub Nabuchodonoforis an-
no 25. audiri à Tobia, vel non potuit everti
post

post Jerofolymam concrematam. Tum quia
licet sic fuisset everfa Ninive, ruina sonitum
audire non potuisset Tobias, quamvis iuxta
textum græcum concedamus ipsi 127. vitæ an-
nos, quoniam anni isti in 10. tantum Nabu-
chodonoforis anno qui est secundus Sedecia,
terminarentur; cum enim capta Samaria à Re-
ge Assyriorum, captivus ductus fuisset in Ni-
nivem Tobias Senior, ipsius filius iam natus
fuerat, vt Scriptura docet. *Tobie cap. 1. v. 11.* &
ideò P. Serarius *quest. 8. in cap. ult. Tobie,* & Sa-
lianus Tobias junioris ortum referunt ad an-
num 4. Ezechia Regis Judæ, & ad 7. Osee
Regis Israel, Mundi autem 3312. vnde vita iu-
nioris Tobia finita esse debebat secundo Sede-
cia anno, & ante everfionem Jerusalem.

7 Alia huic placito obtinentia videre licet
apud Salianum *Anno Mundi 3377. num. 4.* cœ-
terum pro re nostra cum hæc Ninives everfio
à prædictis AA. afferatur confecta post Jerofolymam
concrematam, profectò ex hoc capite non potest subduci
Judæorum captivitatem, cuius tempora inquirimus,
cœpisse sub Josia, qui pluribus retro annis mortuus fuerat.

8 Demum obiectio elevatur, quoniam Af-
syriorum Monarchia non fuit finita tempore
Josia Regis, vt in obiectione supponitur, sed
multo ante, scilicet tempore Ezechia, ipsius-
que

que Regni anno 24. tunc quippè cœpit Babyloniorum, seu Chaldæorum Imperium, vt testantur Joseph, *lib. 10. Antiq. cap. 3.* & alij plures; cum enim ex *lib. Regum 4. capit. 20. v. 12.* constat, Merodachum, seu Berodachum Regem fuisse Babyloniorum, quando munera, & legatos misit ad Ezechiam, anno Regni eius 16. oportet fateri, vel tunc, vel saltem anno 15. Ezechia, cum nempè maximis, post devictos Assyrios, auctus fuit incrementis, & Babyloniorum factus fuit Imperator, inchoatum iam Babyloniorum, seu Chaldæorum Imperium fuisse; id quod frequentèr docent Chronologi Genebrardus, Gordonus, & alij, quib. subscribit P. Salianus *Anno Mundi 3333. nu. 4.* quamvis hos Populos modò Assyrios, modò Chaldæos, & Babylonios Prophetæ appellent, quia vni Principi omnes parebant; sed quoniam Regni sedem ab eo tempore Babylone constituerant Imperatores, ideo Babylonium Imperium nomenclationem accepit, vt notat P. Salianus loco proxime citato, atque inde fit, non rectè dici, Assyriorum Monarchiam finitam, & everfam anno 13. Josiæ, sed jvt dicebamus, sub Ezechia, eiusque anno 15. aut 16.

9 Quod si duplicem finem Regni Assyriorum adstruere vellimus iuxta sententiam P. Petavij, qui de *Doctrina temporum lib. 10. capit. 3.*
exif-

existimat, post extinctum Sardanapalum, novum Assyriorum Regnum ex antiquis ruinis, aut vestigijs excitatum, dein Ninivè à Ziaxare captam solùm, & vastatam non penitus everfam, à Nabuchodonosore postea dirutam, finem potremum accepisse, id vtique subversionis contigit non sub Josia Rege, sed multo post, finito scilicèt Sedechiæ Regno, anno Nabuchodonosoris 24. & desolationis Jerusalem 6. quaproptèr nihil inde confici potest pro sententia asserente 70. annos desolationis cœpisse anno 13. Josiæ. Videatur P. Salianus *Anno Mundi 3452. num. 5.*

SECTIO SEPTIMA.

*ALIA EXCINDITUR OBIECTIO, UBI DE
successoribus Nabuchodonosoris.*

1 **S**ECUNDO opponens: Daniel *cap. 5. v. 2.* docet, Nabuchodonosorem magnum fuisse patrem Balthazaris, ultimi Regis Chaldæorum, non avum; atque plerique omnes consentiunt, hos duos non regnasse iunctim 70. annis; ergo hi 70. anni non à Nabuchodonosore magno, sed ab eius patre, qui cœpit regnare anno 13. Josiæ, inchoandi sunt: sic ergo hi 70. anni computandi videntur;

tur: Nabuchodonosor magnus coepit regnare anno 3. Joakim, & regnavit 45. annis; dein Balthasar regnavit annis 3. qui iuncti alijs 45. faciunt 48. annos; his adde annos 22. Nabuchodonosoris Senioris, qui supersunt ab anno 3. Joakim, ascendendo usque ad 13. Josiæ, habebisque hos annos 70. captivitatis.

2 Respondetur, incerto Chronologiæ fundamento inniti obiectionem; negari enim non potest, maximam esse diversitatem non modò apud RR. sed etiam apud antiquos Scriptores circa numerũ, & annorum, & Principum, qui à magno Nabuchodonosore ad interitum Imperij Chaldaeorum Babylone regnaverunt, ut quibus potissimum fides habenda sit; difficillimum sit rectè iudicare, præsertim cum ipsi antiqui diversis in locis diversa sentiant, & scribant, ut cernere est in Josepho *lib. 1. contra Apionem, & lib. 10. Antiquit. capit. 11. & 12. & Eusebio, lib. 9. capit. ultim.* apud quos tres alij Reges asseruntur post magnum Nabuchodonosorem, & ante Balthasarem nempe Evilmerodach filium Nabuchodonosoris, Niglissar nepos eiusdem Nabuchodonosoris, seu aliter matris sororis Evilmerodach, nec non Labosordach abnepos Nabuchodonosoris.

3 Cæterum, Scripturis Sacris inherendo, duos tantum Reges post magnum Nabuchodonosorem

donosorem in Babylonis Monarchia agnoscerre debemus, nempe filium eius, quem Scriptura vocat Evilmerodachum, & filium filij illius, qui in eadem est Balthasar; sic enim deducitur ex Jeremia *cap. 27. v. 7.* aiente: *Et servient ei (puta Nabuchodonosori) omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & iustus.* Quibus verbis intelligi Evilmerodachum, & Balthasarem scribit D. Hieronymus, D. Thomas, Rabanus, Lyta, Dionysius, Isidorus, nec non Vatablus, Maldonado, à Castro fusè, Emmanuel Sa, Ribera *in capit. 1. Zachariae, num. 24. & sequentibus*, Gordonus *capit. 12. Chron. num. 5. Salianus Anno Mundi 3472. num. 25.* & quidem etiam negari non potest ex *lib. 4. Reg. capit. 24. v. 27.* post magnum Nabuchodonosorem, Babylone regnasse Evilmerodachum, nec de Balthasare ulla possit esse dubitatio, quin de stirpe fuerit ipsius Nabuchodonosoris, Regni que successor ex Daniele *cap. 5. v. 2. & Baruch, capit. 1. v. 11.* valdè firma conficitur hæc sententia.

4 Tres quoque Reges illos duntaxat, nec plures agnoscunt Theodoretus *Orat. 5. in Daniel*, Severus Sulp. *lib. 2. Hist.* Eusebius *in Chron.* licet in hoc disideant à communi sententia, quòd Balthasarem fratrem existiment Evilmerodachi, cuius filium fuisse alij omnes passim

fatentur, nixi illi Jeremiæ loco, ubi filium, aut nepotem satis apertè nominat, quos ipsemet Jeremias *cap. 25.* & Daniel *cap. 5.* proprijs deinde nominibus appellat. In hac sententia sunt quoque Hebræi, & Chronicum Hebræ. *cap. 28.* quod sequitur Genebrardus. Denique quicumque captivitatem septuaginta annorum à primo anno Regni Nabuchodonosoris numerare incipiunt, tres hosçè Reges Monarchiæ Babylonicæ constituunt, cæteros missos faciunt, in quibus maximè Christophorus à Castro in *cap. 27. & 29. Jeremia.*

4 P. Pererius etiam *lib. 6. in Daniele in ea verba: Regina autem ingressa. in 6. sententia,* non negat, illum Jeremiæ locum de Evilmerodacho filio, & de Balthasare nepote intelligendum, sed Niglissar, & Labosfordach, quos interjicit, ait, de semine Nabuchodonosoris non fuisse; cæterum hos duos superadditos Principes reiiciendos esse, infra ostendemus. Præterea, ut objectioni occurramus, quamvis Evilmerodach non fuerit filius Nabuchodonosoris, negari non potest, post Nabuchodonosorem, Babylonicum Imperium obtinuisse; constat ex *lib. 4. Regum, cap. 24.* tum ex *Jeremia capit. 52.* ipsique Evilmerodacho viginti tres annos Regni tribuunt Hebræi in *Chronico capit. 28.* & in *Thalmud, apud Galatinum lib. 4. cap. 15.* imo

P.

P. Ribera in *cap. 1. Zachariae, num. 7.* inquit, receptissimam omnium sententiam ei 23. annos tribuere: igitur non est recta annorum computatio, quæ in obiectione fit; quippè in ea omituntur anni Regni Evilmerodachs; quod si illi addantur, ut fieri debet, non septuaginta, sed plures nonaginta anni efficiuntur, & consequenter male inchoantur à decimotertio anno Regni Josiæ captivitatis Babylonicæ anni septuaginta.

6 Neque obstat, quòd Jeremias in eo *capit. 27.* in quo habentur illa verba: *& servient ei omnes gentes, &c.* asserat, verbum illud ad ipsum factum à Domino in principio Regni Joakim filij Josiæ, quo scilicet tempore non regnabat Nabuchodonosor Magnus, sed ipsius Pater Nabolassar, seu Nabuchodonosor senior, proptereaquæ videbatur dicendum, quòd in præfatis verbis: *Et servient ei,* loquebatur propheta de Nabuchodonosore seniore, & ideo filium eius fuisse Magnum Nabuchodonosorem, & nepotem Balthasarem, haud inquam id obest, primò quòd illa verba, quæ initio *cap. 27.* Jeremiæ habentur, referuntur ad caput præcedens, iuxta D. Hieronym. quem sequuntur Glossa ordinaria, Liranus, Dionysius, Rabanus, Hugo, Capella, Maldonatus, Sancius, Sa, Tornielus *Anno 5. ætatis 417. numer.*

S

mer. 4. Secundo P. Saliarius Anno Mundi 3426.
num. 1. opinatur, legendum, *in principio Regni*
Sedeciae, non Joakim; quia ita legendum propo-
 modum exigit Historiæ veritas; circa Domini
 præceptum de catenis conficiendis, & portan-
 dis, & mittendis, de quibus est illud *cap. Jere-*
miæ, quæ ad annum quartum Sedeciae perti-
 nent.

7 Tertiò, de illo Rege intelligendis Jere-
 mias, de quo verum fuit, quod ei servierunt
 Judæi, & omnes gentes, de quibus sermo est in
 eo *cap. sed* id tantum verum habuit in Nabu-
 chodonosore magno, qui post expugnatam Ju-
 daeam, omnes finitimas regiones, & gentes sub-
 iecit: ergo non vaticinatur ibi Jeremias de Na-
 bolassarò, seu de seniore Nabuchodonosore,
 sed de ipsius filio. Quarto, quia in ipso Jere-
 miæ textu sic habetur: *Et nunc itaque ego dedi*
omnes terras istas in manu Nabuchodonosoris Re-
gis Babylonis servi mei; insuper & bestias agri
dedi ei; ut serviant illi: & immediate pergit
 Propheta *ψ. 7.* inquit: *Servient ei omnes gen-*
tes, & filio eius, & filio filij eius; donec veniat
tempus terræ eius, & ipse: ubi ad eundem re-
 gredi in ijs verbis Jeremiæ vaticinium difigitur;
 sed certum est, in priori parte huius vaticinij
 sermone esse de Nabuchodonosore magno,
 quia illi tantum, & non Patri, dedit Deus Je-

rosolyamam, quæ capta fuit anno vndecimo Se-
 deciae, vt supra diximus: igitur, quia nequit Je-
 remias exponi de seniore Nabuchodonosore,
 adeoque licet fateamur, factum à Domino hoc
 verbum ad Jeremiam in fine Regni Nabucho-
 donosoris senioris, cum prophetia in futurum
 dirigatur, non oportet, quod compleri cœpta
 fuerit illo tempore Nabuchodonosoris senio-
 ris.

8 Sed instabis: Jeremias hoc anno tertio cœ-
 pit prophetare, vt ex initio *libri* ipsius patet,
 viditque sceptrum Assyriorum, & post illud
 alia regna contrita per virgam, & sceptrum
 Chaldæorum; vnde ipse hanc virgam toto hoc
 libro Judæis, & omnibus gentibus intentat,
 eiusque vim, robur, & tempus describit, scilicet
 quod durabit septuaginta annis, puta ab anno
 decimotertio Josiæ vsque ad primum Cyri: falsa
 igitur est nostra sententia. Respondetur verum
 esse, quod Jeremias eas clades Judæis, & alijs
 intentat gentibus, idque vaticinari cœpisse præ-
 dicto anno 13. Josiæ: Cæterum hinc non rectè
 infertur ex tunc inchoatam fuisse Judæorum
 captivitatem, & desolationem: quod patet pri-
 mo ex eo, quod idem Jeremias *cap. 25.* adhuc
 vt futuram prædicit hanc Judæ desolationem,
 contritionemque aliarum gentium, & ipsius
 prophetia pertineat ad annum quartum Joa-
 kim

kim filij Josæ, vt initio capitis habetur: recole dicta in probationibus nostræ sententiæ; inde enim haud difficulter dimoveri poterit obiectio ista.

SECTIO OCTAVA.

ALIA ELEVATUR OBIECTIO.

I OBIJICES quartò: vt septuaginta anni, de quibus differimus, nuncupentur desolationis, & vastationis, sufficit, quòd desolatio, & servitus ijs saltem ex parte coextendatur, non requiritur verò, vt totis respondeat: vnde tales numeri non debent simpliciter, vt sonare videntur, exponi, sed vt ordinem ad aliud initium designent: nempè septuaginta anni desolationis, vt idem sint, quòd septuagesimus annus non ab inchoata desolatione, sed ab inchoata Chaldeorum Monarchia. Simili phrasi. *Genes. cap. 15. v. 13.* dicit Deus Abrahæ: *Semen tuum peregrinum erit, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis;* id est, vsque ad quadringentesimum annum ab illa prædictione: nam certum est, posteros Abrahæ non fuisse afflictos in Ægypto nisi vltimis nonaginta duobus annis.

2 Consimili locutione. *Exo. 12. v. 40.* dicitur: *Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuisse*

se quadringentorum triginta annorum, id est; vsque ad quadringentesimum trigésimum annum à promissione Abrahæ facta. *Genes. cap. 12.* à descensu autem Jacobi cum suis in Ægyptum, non fluxisse nisi ducentos quindecim annos vsque ad egressum Israelitarum ex Ægypto, certum est. Sic enim *Isaia cap. 10. v. 8.* dicitur destruendum Regnum Israelitarum post sexaginta quinque annos, non inchoados tunc, cum id Isaías inculcasset Regi Achaz, seu ab initio suæ prophetiæ. Sic ratiocinatur P. Tirus *tom. 1. in Sac. Script. in Chronico cap. 35.*

3 Respondetur, hanc obiectionem videri non satis coherere prædictioni Sacri Textus, qui utique luculenter tēpus desolationis designat, vt in probationibus nostris ostensum est, & ex illis infertur, Judææ desolationem non inchoasse tempore, quo cœpit vaticinari Jeremias, nempè anno decimotertio Josæ, nec oppositum probatur paritatibus adductis; & quidem ad *textum* de peregrinatione, & afflictione posterorum Abrahæ, dicendum cum Augustino. *quæst. 47. in Exodum*, quem frequenter laudant Interpretes, numerum illum quadringentorum annorum non referri ad commotionem Hebræorum in Ægypto, nec ad eam persecutionem, solas, sed ad illas, & ad peregrinationem, *non itaque* (inquit August.) *quod*

ait, in servitutem redigent eos, & nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum est, tamquam per tot annos eos habuerint in servitute, sed referendi sunt quadringenti anni ad id, quod dictum est: Peregrinum erit illud semen, ante quam hereditate sumerent terram ex promissione Dei; quod factum est, postquam ex Aegypto liberati sunt, ut hyperbaton hic intelligatur, & ordo verborum sit, sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra: non propterea quadringentis annis, illud, & interpositum intelligatur, & in servitutem redigent eos, & nocebunt illis, ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat; in extrema enim parte annorum summa huius, hoc est, post mortem Iosephi factum est, ut in Aegypto Populus Dei duram pateretur servitutem. Hac D. Augustinus, quamoptimè hunc textum elucidans, ex cuius mente, & quam pluribus alijs à me traditis t. 1. dissert. 2. per totam, elucet pro re nostra apposita disparitas; quoniam in prædictione Abrahamæ facta, tota quadringentorum annorum summa completa fuit in peregrinatione Hebræorum in terra non sua; at in hypothefi nostra cum Prophetæ anuntiaverint tempus desolationis Judæorum futurum annorum septuaginta, non ostenditur ab adversarijs, quo sensu integra desolatio septuaginta annorum incepta fuerit anno 13. Josiæ.

Tum

4. Tum secundo, quamvis præfatam Abrahamæ anuntiatam prædictionem opus sit exponere, saltem ex parte, in sensu aliquo figurato, videlicet per hyperbasim, aut transgressionem, quia ex recta annorum calculatione, rerumque gestarum historia, quæ in Sacris Codicibus habentur, aliter intelligi nequeat; non enim per integros 400. annos filij Israel afflicti fuere in terra non sua; in nostra tamen hypothefi id minimè contingit; siquidem ex prælibatis, dicendisque cernere est, quam optime posse explicari Jerosolymorum desolationem per integros annos septuaginta cum omni proprietate sermonis; at Sacræ Paging verba ex recepto PP. & Sacrorum Interpretum Canone, quando, ex proprio, & non figurato sensu nullum sequitur absurdum, stricte, & propriè sunt interpretanda, ut tradit D. Augustinus *lib. de Doctrina Christiana, capit. 3. & 27.* adnotantque Theologi 1. part. *quest. 1. art. 9.* & præcipuè P. Valentia *ibidem quest. 1. punct. 5.* & in *Analyfi Fid. sac. part. 8.* igitur cum ex nostra sententia, & intelligentia Sacrarum Literarum, quam in hac difficultate prosequimur, nullum inferatur absurdum, acceptis nimirum de Jerosolymæ desolatione sacris vaticinijs cum proprietate sermonis per integros septuaginta annos, sic potius divina eloquia exponenda veniunt; præ-

S 4

ci-

cipuè cum ex contraria intelligentia, haud rectè in concentum plures alij textus redigi videantur.

5 Oppones quinto: hos septuaginta annos inchoandos ab anno quarto Joakimi, qui fuit primus Nabuchodonosoris, quo ipse Phœnices, & Judæos subegit, atque Joakim cum Daniele, & alijs Judæis abduxit; quia *capit. 25. v. 1.* hunc annum consignat Jeremias, quasi initium horum septuaginta annorum, ut ex eo *text.* colligitur; tum quia *c. 27. v. 7.* dicitur, quòd *omnes genets servient ei*, scilicet Nabuchodonosori, qui regnavit quadraginta quatuor annos, & filio eius, puta Evilmerodach, qui viginti tres annos, & filio filij eius, nempe Balthafari, qui tres annos regnavit, qui anni coniuncti faciunt septuaginta.

6 Respondetur ex *capit. 25. v. 1. Jeremia* solum confici, tunc temporis ipsum prophetasse, non verò, quòd tunc inchoata fuerit communis Judæorum calamitas; quinimò ex *eodem capit. 25.* nostra sententia valdè fulcitur, ut supra evicimus. Tum quia eo anno quarto Joakimi, parva, vel nulla, ut volunt, Rabi Saadias, P. Maldonatus, & alij, videtur fuisse publica, & communis Judæorum captivitas. Tandem non rectè asseritur inchoata desolatio anno primo Nabuchodonosoris, cum aperte satishabeatur in *li. 4.*

Regum, capit. 25. & Jeremiæ 52. v. 12. ad annum nonum decimum ibius Regis Babylonis Templi, & Urbis deflagrationem, & Judææ desolationem referendam, ut infra dilucidius constabit: Balthasar autem non modò regnavit tribus annis, ut in obiectioe dicitur, sed alijs pluribus, ut diximus *sect. 5. num. 19.*

SECTIO NONA.

OSTENDIT, NON ESSE COMPUTANDOS septuaginta annos captivitatis Babylonicae à transmigratione Jechoniae.

I **O**PPONES sexto, hos septuaginta annos numerandos esse à transmigratione Joachini, sive Jechoniæ, aut à clade, seu morte Joakim, quæ facta est anno Regni eius vndecimo; vna enim, eademque censetur hæc clades, & captivitas facta sub Joachin, inter vtramque enim tantum intercesserunt tres menses. Assumptum multis probari potest, primò, quia prima notabilis vastitas, & communis captivitas facta fuit hoc anno Joachini, & Joakimi, ut probatur ex *lib. 4. Regum, cap. 24. v. 14. & 12.* Secundò, quia Jeremias *cap. 29.* post transmigrationem Joachin dicit *v. 10.* *Cum impleti fuerint in Babylone septua*

tuaginta anni: ergo ab ea illi videntur inchoandi.

2 Tertiò, quia ab hac transmigracione Jechoniæ, quasi ab æra communi captivitatis, & seculi illius, prophetias suas numerat, & consignat Ezechiel *cap. 1. v. 2. & deinceps.* Quartò, quia S. Matthæus *cap. 1. v. 11.* hanc captivitatem vocat transmigracionem Babylonis, quoniam Jechonias sponte se dedit Chaldeis, & non vi abductus est, sed vltro, transmigravit in Babylonem. Quintò, quoniam Jeremias *capit. 29.* scribens ad eos, qui cum Jechonia ad servitutem Chaldæorum abierant, ait eos visitatum iri libertate recuperata, cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, nimirum servitutis eorum, quos alloquitur: igitur quia ij septuaginta anni initium habuere à transmigracione Jechoniæ.

3 Sextò, quia facile ab hoc anno vndecimo Joakim computari queunt ij 70. anni, nempe annus vndecimus Joakim fuit octavus Nabuchodonosoris, qui regnavit quadraginta quatuor annis: ab anno ergo eius octavo ad 44. habebis annos captivitatis triginta sex: his adde annos triginta quatuor Evilmerodachi, & Balthafaris, & habebis annos 70. captivitatis. Sic P. Cornelius *in capit. 29. Jeremie, v. 10.* eidemque sententiæ antea adhæserunt Rabi Salo-

Iomon apud Lira *initio Esdra.* Caietanus *in cap. ultim. lib. 2. Paralip.* Genebrardus *in fine lib. 1. Chron. P. Azor tom. 1. Moral. lib. 6. capit. 56.*

4 Respondetur, negando assumptum; ad primam probationem dicimus, quòd ita se gessit durè in Jerosolymam Assyrius, vt totam dicatur à suis sedibus ad alienum solum transfuisse, quia transtulit Regem Jechoniã, & universos Principes, & omnes fortes exercitus, diripuit etiam vasa templi, & thesauros; cæterum ex hoc tempore desolatio prædicta à Jeremia, & Ezechiele, inchoata dici non potest; primò, quia decem millia tantum abducti fuerunt in in Babylonem, vt ex ipso *lib. 4. Reg. capit. 24.* constat; imò ex ipsis decem millibus iuxta *Chronicum Hebraorum, capit. 25.* tria millia tantum erant de Judà, de Benjamin verò, & alijs tribubus septem millia, cui placito assentiuntur Illustriss. Abulehsis, PP. Mariana, Menochius, Sa, alijque. Certum autem est in perillustri illa Orbis regia Jerosolyma plura miliaria hominum fuisse: igitur in eo eventu desolata Civitas dici non potuit, quamvis integra decem millia ex ipsa Urbe fuissent, vt autumat P. Salius, *Anno Mund. 3436. num. 23.*

5 Secundò, quia post huiusmodi captivitatem stetit Judæorum Regnum cum Templo,

& Civitate annis vndecim, quibus regnavit Sedecias, lib. 4. *Regum*, capit. 24. v. 18. quousque Jerusalem iterum obsessa fuit, & capta à Chaldæis, concrematumque Templum cum domo Regia, & solo æquata Civitas, tuncque compleri cœpit sermo Dei ex ore Jeremiæ, vt dicitur *Paralip. 2. cap. 36. v. 21. vt celebraret terra sabbata sua; cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque duos completerentur septuaginta anni*: Hæc Sacer textus: Ergo quia ante id temporis adhuc terra Judæ non celebraverat istud desolationis sabbatum.

6 Tertiò, quia cum Nabuchodonosor è Jerosolymis abiisset, plerique eorum, quos Chaldæorum adventus huc, illuc fugitivos dicecerat, in Ægyptum præsertim, vbi se propter vtriusque Regis inimicitias tutiores forte arbitrabantur, Jerosolymam reversi sunt, sese adiungentes Sedeciæ, Regnûque abiectum, & humile, in quo soli pauperes terræ relicti fuerant, paulo splendidius reddidere; nam deinceps Jeremias crebrò Ducum, & Principum mentionem facit, vnde sic habet *cap. 24. v. 8. Et sicut ficus pessime, qua comedi non possunt, eo quòd sint mala, hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam Regem Judæ, & Principes eius, & reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in orbe hæc, & qui habitant in terra Ægypti.* & infra *cap. 29. v. 20. Hæc*

Hæc dicit Dominus ad Regem, qui sedet super solium David, & ad omnem Populum habitatorem huius orbis (Jerusalem) ac fratres vestros, qui non sunt egressi nobiscum in transmigrationem, ecce mittam in eos gladium, &c. igitur cum hæc scripta fuerint post Jechoniæ transmigratiõnẽ, utique post illam Regnum, regia, Populûque ac Principes cum Rege steterunt, & consequenter adhuc eo tempore non fuit inchoata desolatio prædicta à Jeremia: vide alia, quæ pro fulcienda nostra sententia supra expendimus.

7 Ad secundam probationem, quæ in quintam recidit, respondetur cum P. Pererio *lib. 1. in Daniele*, quòd Jeremias eo loco non iubet Judæos expectare, donec in illis compleantur in Babylone septuaginta anni eorum transmigratiõnis; sed ait simpliciter, & præcisè, donec compleantur in Babylone septuaginta anni, nempe solitudinis, vastitatis, ac desolatiõnis, quos idem Propheta ante memoraverat *cap. 25.* ex quò *cap.* sumere oportet intelligentiam eorum, quæ postea brevissimè repetuntur in *cap. 29.* solitudo autem, atque desolatio terræ Judæorum non accidit in transmigratiõne Jechoniæ, sed in Sedeciæ captivitate, vt ex superioribus liquet.

8 Sed dices, si in Jechoniæ transmigratiõne

ne adhuc septuaginta anni desolationis exordium non habuere, cùm Jeremias ad eos, qui cum Jechonia transfugerant de his 70. annis scribit? Respondeo, duplici ex causa id effectum fuisse, primò, quia hi septuaginta anni captivitatis fuerunt illis notissimi, utpote quos Jeremias, ut traditur in *lib. Ipsi, capit. 25.* quarto anno Joakim, & septem annis ante Jechoniae transmigratiōem, disertis verbis prænuntiaverat. Secundò, quia promissio liberationis septuagenariæ captivitatis non pertinebat ad Sedeciam, & posteros eius, sed ad posteros Jechoniae, eorumque, qui cum ipso transfugerant: non enim illos, sed hos tantum soluta captivitate reversos esse in Judæam prior liber Esdræ manifestis verbis declarat. Hoc autem ob eam causam factum est, quòd Jechonias consilium Jeremiæ secutus vitro se, suosque, quò Civitati, & Templo parceretur, Regi Chaldæorum dedit; quod ut itidem faceret Sedecias, nulla ratione à Jeremia persuaderi, & adduci potuit. Huc nempe spectavit visum illud divinitus Jeremiæ obiectum, quod *cap. 24. lib. eius, describitur.*

9 Præterea qui ex hac Jeremiæ Epistola contendunt probare septuaginta captivitatis annos à primo anno Sedeciae, qui est primus transmigratiōis Jechoniae, initium sumere, eo quòd

quòd abunciet eis, ad quos scribit, longitudinem captivitatis suæ, non rectè argumentantur, sive quia scribit quoque ad reliquias seniorum, qui iam illuc ab anno tertio Joakimi translati fuerant cum eo Rege, & Daniele, & socijs, quibus iam exilium fastidientibus prædicebant nonnulli impostores, fore, ut brevi Jerosolymam, soluta captivitate reverterentur. sic notant Christophorus à Castro *super Jeremiam,* & Salianus, *Anno Mundi 3436. num. 39. & sequentibus:*

10 Horum verò captivitatis annus hic non primus erat, sed octavus; ideoque Jeremias dicit, *reducamque captivitatem vestram,* universam captivitatem Judaicam intelligens, quæ tam primò, quàm octavo, quàm etiam primò Nabuchodonosotis anno inchoari potest, nullam vim textui afferendo; sive denique, quia Jeremias de fine tantum captivitatis loquitur, aut potius de duratione illius duntaxat, nihil definitè de initio, vel fine statuendo.

11 Ad tertiam probationem dicimus, quòd Ezechiel prophetias suas consignat à transmigratiōe Jechoniae, primò, quia magna absurdio clades illa fuit. Secundò, quia tunc temporis, nempe dum cœpit Ezechiel vaticinari, adhuc concredmata Jerosolyma non fuerat, nec terra Judæorum; atque adeò ab ea strage non

poterant consignari Ezechielis vaticinia. Tertio, quia ipse Ezechiel transmigravit Babylonem cum Jechonia, & alijs, vt notavit Josephus *lib. 1. Antiquitatum, cap. 8.* & P. Sallianus *Anno Mundi 3436. num. 26.* colligiturque ex *lib. ipsius Ezechielis capit. 40.* vbi contignat tempus, & enumerat vigesimum quintum annum *transmigrationis nostræ*, inquit ille, qua scilicet nos quoque transmigravimus, eundemque annum, ait, desolatæ Civitatis decimum quartum; at illi duo anni non concurrunt, nisi Ezechielis transmigratione sit eadem, quæ Jechoniæ Regis; præterea liquet ipsum Ezechielem distinguere annos transmigrationis, & desolationis; hos autem inquirimus, secus illos.

12 Ad quartam respondeo; D. Matthæi institutum *eo cap. 1.* fuit, nobis tradere Christi Domini Progenitores, ex quibus vnus fuit Jechonias, minimè Sedecias; & ideo Jechoniæ transmigrationis meminit, non autem desolationis, quæ sub Sedecia contigit. Tum quia Salatiel Jechoniæ filius, & Christi Domini antecessor ortus fuit in exilio post transmigrationem Babylonicam. Tandem quia ex Christi Domini Progenitoribus Jechonias fuit Regum vltimus.

13 Ad quintam patet ex dictis. Ad sextam reiicienda est proposita annorum supputatio, &

& Chronologia, etenim à principio Regni Evilmerodachi vsque ad liberationem Judæorum, live vsque ad vltimum annum Regni Balthasaris, non solum triginta quatuor intercesserunt anni, vt in obiectione asseritur, sed plures quadraginta, vt ex *10. sect.* in clarescet.

SECTIO DECIMA.

QUANDO FINITA FUERIT SEPTUAGENARIA Babylonica captivitas, ostendit, & initium ipsius demagis consulit, oppugnata præsertim distinctione inter annos captivitatis, ac desolationis.

1 **Q**UAMVIS exaratis argumentis, ac Sacræ Paginæ locis, haud parum stabilitum videatur, septuagenariam Judæorum in Babylone captivitatem exordium habuisse anno nono decimo Nabuchodonosoris, & finitam anno primo Cyri Persarum Imperatoris, vltius tamen id ipsum nunc illustrare operæ pretium erit. Prima igitur sententia fuit quorundam, qui existimant, distinguendos annos captivitatis, & desolationis Judæorum, aliosque fuisse annos captivitatis, & alios desolationis Templi, & urbis, atque illos quidem, inquit inchoatos à transmigratione

tionē Jechoniæ, terminarique primo anno Regis Cyri; hos autem, puta desolationis, ordiuntur à captivitate Sedeciaë, cum vrbs, Templumque incensa, eversa que fuere, & finiunt in secundo Darij Hystaspis anno, arbitraturque AA. isti, hac vna distinctione omnem, diremisse controversiam, & discrepantes Scriptorum opiniones ad concordiam posse revocare, referuntur verò pro hac sententia Clemens Alex. lib. 1. *Stromat.* Eusebius in *Chronico*, & lib. 10. *Præp. Evang. cap. ult. Et lib. 8. Demonstr.* D. Hieronymus in *Proæmio Aggei*, & in *cap. 1. Zachariae*, & *cap. 4. Ezechiel*, D. Augustinus lib. 18. *de Civit. Dei*, D. Ilidorus lib. 5. *Æthymologia cap. ult.* Theodoretus in *capit. 9. Danielis*, PP. Sa. Mariana, & alij Recentiores Caterum AA. antiqui ex aliena magis, quam ex sua sententia ita loqui videntur, vt observat P. Tirinus in *Chronico*, *cap. 35. initio.* At illam fulciunt Dominus Guillen de Paz, & P. Petavius, vt vidimus *sect. 5.*

2 Nihilominus prelaudatos antiquos Scriptores, & PP. simpliciter adducit P. Pererius lib. 10. in *Danilem* pro secunda sententia asserente, prædictos annos captivitatis, & desolationis in secundo anno Darij Hystaspis, qui tertius post Cyrum apud Persas regnavit, esse completos scilicet anno, quo intermissa Templi adifi-

catio, repetita sexto anno eiusdem Regis, vt scribit Esdras *cap. 5. & 6.* consummata est.

3 Tertia sententia docet, septuaginta annos captivitatis esse finitos in primo anno Imperij Cyri. Ita sentiunt Josephus lib. 11. *Antiquitatum.* Et lib. 20. *capit. 7.* Julius Africanus lib. 5. *Annalium*, Lactantius lib. 4. *capit. 5.* Severus Sulpitius lib. 2. *Sacra Historia*, Cyrillus lib. 8. *contra Julianum*, & Beda in *lib. de Sæc. apertibus Mundi*, tum PP. Pererius lib. 10. in *Danilem*, Salianus *Anno Mundi 3429. à num. 9.*

4 Assero ergo primo, distinguendos non esse septuaginta annos captivitatis ab annis septuaginta desolationis; probatur primo, ex ipsa positione Authorum aliter sentientium; namque illi asserunt, à transmigatione Jechoniæ vsque ad primum annum Cyri fluxisse septuaginta annos captivitatis: ab everfione autem vrbs, & Templi ad secundum vsque annum Darij Hystaspis præterisse septuaginta desolationis annos, quorum alterum tollitur ab altero: nam à transmigatione Jechoniæ vsque ad everfionem vrbs, & Templi vnde-cim tantum anni transierunt, vt in *lib. 4. Regum*, *t. 24. v. 18. & 25.* apertè traditur; quoniam statim post transmigationem Jechoniæ, asseritur in Sacro Textu, quòd Nabuchodonosor constituit Regem Mathaniam, quem Sedeciam vo-

cavit, ipseque undecim solum annis regnavit; eodemque *capite*, asseritur concrematum fuisse Templum, & Judæorum terram desolatam; sed à primo anno Imperij Cyri vsque ad secundum annum Darij Hytaspis, vt probatissima Regum Perfidis docet Chronologia decem septem anni numerantur: ergo fieri non potest, vt cum initium septuaginta annorum captivitatis sit prius tantum annis undecim, quam principium septuaginta annorum desolationis, horum tamen finis decem septem annis posterior sit, quam finis illorum.

5 Explicatur; nam si ab everfione Urbis, & Templi, anni duntaxat 70. vsque ad secundum annum Darij sunt: ergo vsque ad primum annum Cyri erunt tantum quinquaginta tres; siquidẽ à primo Imperij Cyri anno vsque ad secundum Darij Hytaspis decem septem reperi in confesso est, nempe septem Cyri: Cambylis cum Magis octo: & Darij duo, vt optimè colligit P. Salian. *tom. 4.* ad hæc tempora; sed transmigratio Jechoniæ præcessit desolationem Urbis, & Templi annis tantum undecim: ergo ab illa vsque ad primum annum Cyri non possunt esse septuaginta anni, sed tantum quinquaginta novem. Quod si id aliter computare velimus, necesse erit à desolatione Urbis vsque ad secundum annum Darij Hytaspis, non sep-

tuaginta annos, sed octoginta septem numerare. His accedit, quod nusquam Scriptura duplices facit hos annos, scilicet alios captivitatis, & alios desolationis, sed eisdem annos appellat nunc servitutis, & captivitatis, nunc vastitatis, & solitudinis, & aliquando sabatissimi, & quietis terræ, non numquam desolationis, & stuporis.

6 Hinc reiicienda venit Theodoretii opinio in commentarijs *sup. 9. cap. Danielis*, & aliorum, qui aiunt septuaginta annos captivitatis incipere à prima captivitate Judæorum, quæ facta est anno tertio Regis Joakim, terminari autem in primo anno Regis Cyri; desolationis verò annos septuaginta inchoari ab everfione Urbis, & Templi, ac finiri in secundo anno Darij Hytaspis; reffellit, inquam, nam captivitas Regis Joakim præcessit desolationem Jerusalem, & Templi annis duntaxat decem novem, vt *ex 23. 24. 25. capit. lib. 4. Regum, Et cap. 1. Danielis*, manifestum est; quoniam Joakim captus est à Nabuchodonosore anno tertio Regni ipsius Joakim; at desolatio Urbis, & Templi accidit exacto anno undecimo Sedecias; demptis igitur annis tribus ex undecim, quos regnavit Joakim; & totidem Sedecias remanent decem novem anni; à desolatione autem Jerusalem vsque ad Cyrum, vt ipse Theo-

doretus putat, anni non amplius triginta elapsi fuerunt; efficitur ergo, a captivitate Regis Joakim usque ad primum annum Cyri non esse plures quadraginta novem annos, cum ipse tamen septuaginta annos recenset.

7 Affero secundò, septuaginta annos captivitatis, seu desolationis Judæorum finiri in primo anno Imperij Cyri, id est, eo anno libertatem affectos fuisse Judæos, solutamque eorum captivitatem Babylonicam. Probatur 1. ex ultimis verbis *poster. lib. Paralipomenon*, ubi descripta terræ Judæorum desolatione, inquit Sacer textus: *si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit Regi, & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Jeremie*: paucisque interjectis, pergit idem Sacer Author, *anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremie, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum.*

8 Tum sic: Regibus Babylonis servierunt Judæi, donec imperaret Rex Persarum; sed hic Rex fuit Cyrus, qui Babylonicum Imperium, & Chaldæorum obtinuit; in ipsoque anno primo huius Regni Cyri suscitavit Dñus. illius spiritum ad explendum sermonem Jeremie, de fine videlicet captivitatis: ergo liquidum est, Judæicam captivitatem solutam fuisse primo anno

Quando finita fuerit, &c. Sec. 10. 295
no Cyri Persarum Regis. Omnia constant ex præfato textu.

9 Probatur secundò ex vaticinio Jeremie *cap. 25.* prædixit enim Jeremias septuaginta annos captivitatis tunc esse complendos, quando Babylonis Imperium esset destructum; est autem destructum à Dario Medo, & Cyro, eodemque ipso anno Cyrus regnare cœpit: igitur eodem anno libertatem adepti sunt Judæi. Consequentia est bona; prima verò assumptio constat ex Jeremie *cap. 25. v. 12.* ubi hæc ait: *Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum.* Secunda assumptio ostenditur tum ex prælibatis verbis *lib. 1. Paralipomenon*, tum ex *initio lib. 1. Esdræ*, qui similibus verbis orsus est Historiam suam: *Anno, inquit, primo Cyri Regis Persarum, ut completeretur Verbum Domini ex ore Jeremie, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, & traduxit vocem in omni Regno suo.... hæc dicit Cyrus Rex Persarum omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, & ipse præcepit mihi, ut edificarem ei domum, in Jerusalem, quæ est in Judæa, quis est in vobis de universo Populo eius: sit Deus illius cum ipso, ascendat in Jerusalem.* Hæc ibi, concessoque Judæis libertate revertendi in Jerusalem,

capit. 2. eiusdem lib. enumeratur ingens Judæorum multitudo, quæ reversa est in Jerusalem.

10 Tertiò probatur ex eiusdem Jeremiae *textu*, qui cap. 29. vaticinatur, Judæos completis septuaginta annis captivitatis, & liberandos servitute, & in patriam reversuros, sed vtrumque primo anno Cyri Judæis accidisse docet Eldras in exordio libri sui: Igitur captivitas Babylonica completa Judæis fuit anno primo Monarchiæ Cyri.

11 Probatur quartò ex vaticinio Isaia: *capit. 44. v. 28. Et cap. 45. v. 1.* hisce verbis: *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: qui dico Jerusalem edificaberis, & Templo fundaberis: Hec dicit Dominus Cbrisisto meo Cyro, cuius aprebandi dexteram, ut subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & dabo illi thesauros absconditos, & arcana secretorum. Ego suscitabo eum ad iustitiam, & vias eius dirigam; ipse Civitatem meam edificabit, & captivitatem meam dimittet non in pretio, nec in mun.ribus, dicit Dominus.* Hactenus Isaia.

Porrò autem hunc locum Isaia, vt Iosephus refert *lib. 11. Antiq. cap. 1.* legens Cyrus, sibi à Judæis indicatum, obstupuit, videns tot se annis ante, de proprio nomine appellatum, suamque felicitatem tanto ante prævisam, ac prænuatiam; quo circa admirans Vatis divinitatem,

tem, incredibili, quæ scripta legerat, exequendi cupiditate, divinitus est succensus. Et hoc sanè ipse visus est indicasse in illo suo edicto, in quo fatetur, omnia regna terræ sibi esse à Deo tradita, mandatūque, vt ædificaret domum Domini in Jerusalem.

SECTIO UNDECIMA.

RECTÆ CHRONOLOGIÆ CONSENTIENS ostendit nostrum placitum: annosque Regni Nabuchodonosoris, eiusque successorum stabilit.

I **C**onflagrationis Urbis, & Templi, tum Judææ Regni desolationis tempus ab Historico Sacro in *lib. 4. Regum, cap. 25. v. 8.* ita describitur: *Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus Regis Babylonis: venit Nabuzardan Princeps exercitus, servus Regis Babylonis in Jerusalem. Quæ repetuntur lib. 2. Paralip. capit. 36. v. 18. & Jeremiae cap. 52. v. 12.* nisi quod apud Jeremiam pro *septima die mensis* legitur *decima*, quæ discrepantia vt dimoveatur, Illustriss. Tostatatus *quest. 8. in cap. 29. Regum*, inquit, Nabuzardan venisse die septima, tertia verò post die incendium cepisse. Adrichomius in anno vnde-

cimo Sedecia, ait, septima combussisse Palatium Regis, omnesque domos Jerusalem, die autem decima incendisse Templum. Alij censent, septima die quinti mensis venire cœpisse ex Reblatha, die autem decima, Jerusalemam pervenisse, nam Reblatha tridui circiter itinere à Jerusalemam aberat; cuius sententiæ sunt Torneillus, 6. *etatis anno* 1. Et P. Salius *Anno Mundi* 3447.

2 Porro autem circa annos Regni Nabuchodonosoris tres reperiuntur sententiæ: prima, quæ Nabuchodonosori Regni annos quadraginta tres attribuit, in qua est Josephus *lib. 10. Antiquitat. cap. 11. sub finem.* Et Berosus *lib. 1. contra Apionem*, à Josepho relatus, quos sequitur D. Hieronymus in *capit. 5. Daniel*, Eusebius *lib. 9. Prepar. cap. 4.* Alij quadraginta quinque annos illi adscribunt, ut *Chronicon Hebræorum, cap. 28.* Illustriss. Abulensis in *4. Regum, cap. 25. quest. 35.* Genebrardus, & alij; cæterum quadraginta quatuor annos illi assignant Christophorus à Castro in *capit. 29. Jeremia. in 2. probatione quartæ sententiæ, & cap. 27. num. 4.* Gordonus, *Chronologiae capit. 12. num. 6.* Maldonatus in *capit. 9. Daniel. num. 2.* Salius *Anno Mundi* 3472. *num. 8.* fulciturque hæc sententiæ; quoniam, ut *lib. 4. Regum, capit. 24. v. 12.* dicitur, primus annus transmigrationsis.

Je-

Jechonia est octavus Nabuchodonosoris: ergo trigessimus septimus transmigrationsis annus est quadragesimus quartus ipsius Nabuchodonosoris; sed hoc anno 37. transmigrationsis Jechonia regnavit Evilmerodach in Babylone, ut patet ex ipso *lib. 4. Regum, cap. 25. v. 27. Et cap. ult. Jeremia, v. 31.* igitur non potuit Nabuchodonosor regnare anno 38. transmigrationsis, qui respondet 45. ipsius Nabuchodonosoris.

3 Tum quia dicto c. 25. v. 27. *lib. 4. Reg.* sic habetur, in anno trigesimo septimo transmigrationsis Joachin Regis Judæ, mense duodecimo; vigesima septima die mensis: sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Judæ de carcere: ergo à transmigrationsis Jechoniae usque ad primum annum, quo regnare cœpit Evilmerodachus, triginta septem anni dumtaxat elapsi fuere; sed ante Jechoniae transmigrationsis septem præcisè annis imperaverat Nabuchodonosor; cum octavus ipsius Imperij annus sit primus transmigrationsis ex *4. Regum, cap. 24. v. 12.* Igitur ad quadragesimum quartum annum præcisè protensum fuit Nabuchodonosoris Imperium, computato ex parte anno trigesimo septimo transmigrationsis: unde ad quadragesimum quintum pervenire, non potuit.

Præ-

4 Præterea Evilmérodach viginti tres annos regnavit Babylone, vt tradunt Hebræi *capit. 28. & in Talmud*, apud Galatinum *lib. 4. cap. 15. P. Ribera in cap. 1. Zachariæ, num. 27.* vbi inquit, receptissimam omnium hanc esse sententiam, pro qua laudat eundem Galatinum, Porcherum *1. part. victoria contra Judæos cap. 3. Echium in resolutione de septuagenaria captiv. quam posuit in fine cap. 1. commentarij in Aggeum*, & Vatablum *in 1. Aggei*, quibus addere possum Tornielium *anno 26. sextæ ætatis*, qui ait, Berosum apud Josephum *lib. 1. contra Apionem*, non duos, sed viginti duos annos ei tribuisse, mendo in numeros irrepente, nec pugnare cum alijs, qui viginti tres ponant non completos, vt ipse, sed inchoatos: concinunt P. Gordonus *in Chronologia, & capit. 17. numer. 5. à Castro in Jeremiam cap. 29. num. 4. Sallianus Anno Mundi 3472. num. 28.*

5 Deinde Balthasar, vt notat P. Pererius *lib. 6. in Daniele*, ad illa verba, *regina autem ingressa*, concessu ferè omnium, regnavit annos decem septem; & quoniam adhuc desiderantur alijs anni ad numerum illum septuaginta annorum explendum, ideo præter Evilmérodach, & Balthasarem, aliquos alios post Nabuchodonosorem, & ante Balthasarem, Regnum Babylonicum administrasse censet idem Pererius

loco

loco citato, existimatque, imperasse Niglissar, & Labosardach, et si simul asserat, non fuisse de posteris Nabuchodonosoris. Cuius autem Balthasar, qui nepos fuit Nabuchodonosoris, non statim secundo loco post ipsum regnaverit, sed alij, qui non erant de posteris Nabuchodonosoris, ipsum Balthasarem in Regno præcesserint, nec Sacra Scriptura vsquam tradit, nec ab vilo Scriptorum, quod ego sciam, inquit Pererius, eruditione sanè conspicuus, proditum est.

6 Verùm, si licet coniectura quasi divina (pergit idem Pererius) existimari posset, cum Evilmérodach, Pater Balthasaris à marito Sororis Niglissar occisus est, vt tradunt Authores, quos, *priori libro contra Apionem*, citat Josephus, fuisse tunc Balthasarem admodum parvulum, & ab eius cognatis, patrisque amicis fuisse nacti, ad quam filij Evilmérodach querebantur, subductum, & ad tuta loca deductum, ibique commoratum quoad patris hostes regnaverunt, quibus ob scelera invisis, & exosis, ob idque à principibus Chaldæorum interfecit, Balthasar Principem suffragio in paternum Regnum est restitutus. Hactenus ille.

7 Porro autem his duobus Chaldæorum Regibus, quos Pererius addendos putat, 10. Imperij annos tribuit: vnde summa annorum sep-

sep-

septuaginta captivitatis conficitur, datis annis viginti quinque Nabuchodonosoris Imperio post desolationem, Evilmérodachi decem octo, Balthasaris decem septem, extraneis verò Principibus 16. At P. Petavius, qui temporum rationem mirificè illustravit; *lib. 10. de Doctrina temporum, cap. 7.* ex Beroso recepto, putat Nabuchodonosorem imperasse annis quadraginta tribus, Evilmérodachum tribus tantum, Niglissarum quinque, Labosoarchodum mensibus novem, Balthasarem seu Nabonidum annis decem septem, & huic Cýrum successisse.

8 His tamen relictis singularibus sententijs, nos cum communiore, cui iam supra subscriptus, post magnum Nabuchodonosorem, duos tantum Babylonis Imperatores, usque ad Cýrum, agnoscimus; quos videlicet in Sacris Scripturis legimus, nempe, Evilmérodachum, & Balthasarem, quorum primò Evilmérodacho Imperij annos viginti tres, ex receptissima sententia, assignamus, Balthasari autem viginti unum; quibus septuagenariæ captivitatis expletur numerus, quem compendiosè facièdo, in hunc modum accipite: à desolatione annos regnavit Nabuchodonosor viginti sex: Evilmérodach viginti tres, Balthasar viginti unum: annorum summa septuaginta. Verum tamen si cum P. Petavio, & alijs nonnullis Authoribus,

con-

concedamus Babylone quoque imperasse Niglissarem, & Labosardachum; cum hi duo tyranicè imperaverint, vivente Balthasare, huic potius, quàm illis tyrannis, anni tribuendi sunt, vt adnotat P. Salian. *Anno Mundi 3472. num. 26.*

SECTIO DUODECIMA.

DUÆ OBIECTIONES DILUUNTUR.

OPPONES primò veteres historicos, præcipuè Berosum, & Josephum, necnon Eusebium, apud quos plures Chaldæorum Imperatores reperiuntur, nec Evilmérodacho, & Balthasari tot Imperij conceduntur anni. Respondetur, eos antiquos Historicos nec inter se consentire, nec fidelitè referri, testimonia autem secum pugnantia fidem facere non possunt, & inconstantè relata evertunt, quod probare contendunt. Apud Josephum igitur *lib. 1. contra Apionem*, Evilmérodach regnavit annis duobus; *lib. 10. Antiq.* dicitur regnasse annis decem octo, ibi ei successit Nitiglossotobr, maritus sororis, hic Niglissar filius: ille quatuor annis regnat, iste verò quadraginta annis, ibi per invidias interficitur, hic naturali mortè defangitur; sed dilucidius videte rem in sequenti schemate.

Jo-

2 Josephus *lib. 1. contra Apionem*, Eusebiusque *lib. 9. de Preparatione Evang. cap. ultim.* asserunt, quod Nabolasar regnavit annis viginti novem; Nabuchodonosor magnus quadraginta tribus, Evilmerodach filius duobus aut viginti duobus. Niglissoroor, maritus sororis quatuor, Laborosordochus filius Niglissoroor, mensibus novem, nullis annis. Nabonidus decem septem annis. Summa post Nabolasarum 66. annorum & 9. mensium.

3 Apud Josephum *lib. 10. Antiq. c. 11. & 12.* ex Beroso *lib. 3. Chald.* Nabuchodonosor Senior regnat annis viginti vno, Nabuchodonosor magnus quadraginta tribus. Abilamardach filius decem octo. Niglissar filius eius annis quadraginta. Labosordach filius eius, mensibus novem, Balthasar qui & Naboandel, decem septem annis. Summa centum decem octo annorum mensibus novem. Quæ tanta diversitas, & principum, & annorum facit, ut eos suspectos habeamus, quamobrem, ut monet P. Ribera *in cap. 1. Zachar. num. 24.* Historiæ humanæ errores ex divina corrigere conari debemus, idque supra præstitimus, & ipsi Sacræ Scripturæ inhaerentes, post Nabuchodonosorem magnum, solum Evilmerodach, & Balthasarem agnovimus.

4 Oppones secundò, manifestum est, illos sep-

septuaginta annos vocari ab Scriptura annos desolationis Templi; sed vsque ad secundum annum Darij, Templum fuit desolatum, ut ex *sine capitis 4. in lib. 1. Esdra* deducitur: ergo vsque ad eum annum, tempus illius captivitatis excurrit. Responderetur iuxta hanc obiectioem necesse esse, à desolatione Jerusalem, & Templi vsque ad primum Monarchiæ Cyri annum non plus triginta annos esse, siquidem à primo anno Cyri vsque ad secundum Darij, quadraginta annos ipsi obijcientes numerant non distinguentes annos Regni Cyri in Perside ab annis ipsius Monarchiæ devicta Babylone, quæ tempora distinguenda esse infra constabit: at hinc nos argumentum capimus refutandi istam opinionem; fuisse namque plures quadraginta, nedum plus triginta annos à desolatione Jerusalem vsque ad Cyrum, manifesta constat ratione, etenim post desolationem Jerusalem, quæ, exacto anno decimo octavo Regis Nabuchodonosor, facta est, ut traditur *lib. 4. Regum, cap. 25.* regnavit Nabuchodonosor viginti sex annos, ut ex vltimis verbis *lib. 4. Regum, & ex Jeremia*, supra ostensum fuit. Rutilus post Nabuchodonosorem regnavit Evilmerodach annos viginti tres, ut prædiximus: liquet igitur à desolatione Jerusalem vsque ad Cyri Monarchiam multo plures fuisse annos,

quàm triginta, & quòd huic necessario consequens est, usque ad secundum Regis Darij annum multo plures fuisse, quàm septuaginta.

5 Directè argumento fit satis, dicendo, quòd licèt Templum non est restructum ante Regnum Darij Histaspis, eiusdemque Imperij annum sextum, ut patet *lib. 1. Esdrae cap. 6. v. 15.* Tamen, quia primo Cyri anno, soluta captivitate, data Judæis potestas est redeundi in patriam, Templumque reficiendi, cuius ædificationis proximè sequenti anno, ut narrat *Esdras lib. 1. cap. 3. v. 8.* iacta sunt fundamenta; ideo anni captivitatis septuaginta, necnon solitudinis, & desolationis meritò dicuntur, eo primo anno Cyri, completi, seu finiti. Tum quia ab eo primo anno Cyri terra Judæorum ab ipsis habitari cœpit, & in Templo oblationes, & sacrificia peracta: ut constat ex *Sec. 5. n. 9. & 10.*

SECTIO DECIMATERTIA.

OBIECTIONEM EX ZACHARIÆ CAP. I.

v. 12. diductam infringit.

1 **O**ppones tertio: Zacharias *c. 1. v. 12.* narrans visionem quandam, quam ipse habuit secundo anno Regis Darij, scribit, vidisse se Angelum ita cum Deo loquentem; *Domine exercituum usque quo tu non mi:*

307 *Obiectionem ex Zacharia, &c. Sec. 13.* *307*
misereberis Jerusalem, & urbium Iudæ; quibus iratus es? Iste iam septuagesimas annus est. Quibus verbis apertissimè significari videtur, secundum annum Darij fuisse annum septuagesimum captivitatis. Confirmatur ex *c. 7. v. 5.* eiusdem Prophetæ, ubi scriptum est, Anno quarto Darij obiurgasse Deum Judæos per Zachariam sic: *Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo mense per hos septuaginta annos, numquid ieiunio ieiunasti mihi, ergo secundo, & quarto anno Darij vel complebantur, vel non ita pridem completi fuerant septuaginta anni.*

2 Respondetur ex *P. Pererio lib. 10. in Danielelem*, Angelum in illo primo Zachariæ *c. v. 12.* non affirmativè dixisse, secundum annum Darij esse septuagesimum captivitatis, sed id enunciasse per interrogationem, quæ exprimit affectum animi dolentis, & quasi queribundi, ita ut verba illa Angeli eam reddant sententiam, *num iste est annus septuagesimus?* quasi dicat, non est. Sed iam pridem ille quidem transactus est; ubi sunt igitur Domine tua illa tam ampla, & magnifica promissa in nobis post septuaginta annos explenda? Ubi tot tantæque bona à nobis diù, multumque optata, & expectata?

3 Alij respondent, quòd septuaginta anni, quos memorat Zacharias, longe alij fuere, quàm septuaginta anni captivitatis, de quibus nunc

agimus, & aliunde coeperunt exordium. Verumtamen, cum hæc annorum distinctio supra à nobis reiecta sit, nec vrgentius habeat fundamentum, quàm quod ex hoc Zachariæ capite desumitur, etsi prædictæ distinctioni faveant Theodoretus, P. Ribera dicto *cap. 10.* à Castro in *capite 29. Jeremiæ, num. 4. sine,* & rursus *capit. 10. Zachariæ.* Torneilius *ad annum 27. transmigrætionis, Febronæ,* necnon Scaliger *ad annum Eusebij 1494.* cum plerisque præstantibus doctrina scriptoribus, existimamus eosdem esse septuaginta annos Jeremiæ, & Zachariæ, quamvis inter Cyrum, & Darium non quadraginta, vt P. Pererius putat, sed tantùm decem sex ferè anni interiecti sint, vt docet P. Salius *ad annum 1462.* & illa verba Angeli apud Zachariam *cap. 1. v. 12.* hunc habere sensum, quem prædiximus ex nostro Pererio, nempe cum interrogatione legenda, quam interrogationem habent septuaginta Interpretes. Sic enim explicant etiam Septuaginta, P. Gordonus *cap. 13. Chronol. num. 10.* Hugo, Comestor, Liranus, Dyonisius, & ex illis P. Salius *Anno 3462. num. 7.*

4 Loquitur scilicet Angelus ad captum Judæorum, qui existimabant statim absolutis septuaginta annis, totam Rempublicam Judæorum restauratum iri, cum mens Dei esset, vt even-

Obiectionem ex Zachariæ, &c. Sec. 13. 309
 eventus docuit, ante septuaginta illos annos, nullo modo solvere captivitatem, sed statim absolutis septuaginta annis inchoare libertatem Judaicam, eamque paulatim perficere, sicut paulatim alij post alios in captivitatem abducti fuerant. Huic expositioni favet, quòd textus Hebræus, & Chaldæa paraphrasis *10 cap. 1. Zachariæ,* dicant tantùm, Deum iratum fuisse *Israeli septuaginta annis,* in hebræo enim est, *tratus est iam septuaginta annis,* nec significatur actum fuisse tunc annum septuagesimum sive vltimum septuaginta annorum, vt volunt Adversarij.

5 Ad confirmationem respondeo, in illis verbis Deum significare causam, & peccata Populi, ob quæ adhuc calamitates, & erumnas Judæi subibant, nempe quia non ieiunabant, vt Deo placerent, vel quia ieiunantes Dei mandata transgredi, non verebantur, *ieiunabatis,* ait, P. Ribera, *per hos 70. annos Templi desolationis,* & vrbis, at non mihi ieiunabatis, sed vobis, nec enim ieiunabatis, vt mihi placeretis, sed aut vt religiosi videremini, aut vt sumptui parceretis, nam si mihi per ieiunium placere cuperetis, abstineretis saltèm his diebus à peccatis vestris: intelligitur etiam hic locus ex *Isaia cap. 58.* concinitque D. Gregorius in *3. part. Pastoralis curæ, admon. 20. & Homilia 16. in Evangelia.*

6 Deinde sciendum est, Jerusalem fuisse captam mense quarto, at non fuisse incensam usque ad mensem quintum, ut legimus *lib. 4. Reg. cap. ultimo*: rursus eiusdem anni mense septimo interfectus est Godolias, quem Rex Babylonis praefecerat ijs, qui relictii sunt in Iudaea, atque ita dispersi sunt, qui in Iudaea remanserant partim occisi, partim in Aegyptum fugientes, ut est in *eodem cap.* hac ergo de causa ieiunabant Iudaei toto tempore captivitatis, quinto, & septimo mense: Cum igitur septuaginta anni captivitatis essent finiti, & Templum licet edificari coeptum, perfectum non esset, nec Civitas Jerusalem restaurata, interrogabat Populus, numquid adhuc eis flendum, & ieiundum esset? Praecipue cum iam aedificium Templi cresceret, & ad finem properaret, letitiaque tempus potius videretur, quam luctus: cuius quaestionis occasione docet Dominus, displicuisse sibi ieiunia eorum, quia mandata implicitius contemnebant, & ut praesentes corrigerentur, commemorat quae praeeperat Iudaeis ante captivitatem, quae quia neglexerant in mala gravissima, quae per Prophetas priores comminatus fuerat, inciderunt: Porro autem ex his nullo modo confici potest, illo quarto anno Darii Regis, captivitatis, & desolationis annos septuaginta completos non fuisse; sed potius

con-

Difficultas ex Jeremia, C. Sec. 14. 311
contrarium subducitur, quoniam si septuaginta desolationis anni adhuc durarent, nullo modo dubitaretur à Iudaeis an ipsis ieiundum esset.

SECTIO DECIMAQUARTA.

*DIFFICULTAS EX JEREMIAE CAP. 25.
V. 1. composito cum Danielis cap. 1. V. 1. enascens elevatur: primusque annus Magni Nabuchodonosoris Regni, & quando Joakimum captivum in Babylonem duxerit, ostenditur.*

QUONIAM nostra de septuagenaria Iudaeorum captivitate sententia ex Chronologia Regni Nabuchodonosoris magna ex parte diducitur; asserimus quippe ex *lib. 4. Reg. cap. 25. V. 8. Et Jerem. cap. 52. V. 12.* nonum decimum annum Nabuchodonosoris, fuisse primum captivitatis, & desolationis septuagenariae Regni Iudae, ideo operae pretium duxi, loca praedicta Jeremiae, & Danielis expendere, inter quae apparens quaedam diaphonia reperiri videntur; igitur Jeremias *cap. 25. V. 1.* ita scribit: *Verbum quod factum est ad Jeremiam de omni Populo Iudae in anno quarto Joakim, filij Josia Regis Iudae, ipse est annus primus Nabuchodonosoris Regis Babylo-*

nis.

nis: Daniel verò, cap. 1. v. 1. inquit: Anno tertio Regni Joakim Regis Judà, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem, & obsedit eam: & tradidit Dominus Joakim Regem Judà, & partem vasorum domus Dei, & asportavit ea. Quomodo autem annus quartus Joakim est primus Nabuchodonosoris, ut in Jeremia legimus, si anno tertio eiusdem Joakim, Rex erat, & expugnata Jerusalem cœpit Regem Joakim, eumque in captivitatem abduxit, ut in Daniele haberetur?

2 Deinde Josephus *lib. 10. cap. 7.* primam expeditionem Nabuchodonosoris factam scribit quarto Joakimi anno, & quidem non contra Judæos, sed contra Regem Ægypti Pharaonem Nechao; & ne Josephum contemnamus, idem affirmat Jeremias *cap. 46. v. 1. & 2.* hisce verbis: *Quod factum est Verbum Domini ad Jeremiam Prophetam contra Gentes: ad Ægyptum adversum exercitum Pharaonis Nechao Regis Ægypti, qui erat iuxta fluvium Euphratem in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor Rex Babylonis, in quarto anno Joakim filij Josie Regis Judà.* Contra Judæos autem octavo Joachimi, seu Joakimi anno, & ipsius Nabuchodonosoris quarto, ipse bellum gessit. Si ergo octavo Joachimi anno, ut vult Josephus, quomodo tertio, ut ait Daniel *cap. 1. v. 1.?*

Prop-

3 Propterea Vatablus, Sa, Genebrardus, Pererius, Cornelius, & alij, ad conciliationem utriusque prophetæ dicunt, primum annum Regni Nabuchodonosoris attigisse tertium Joakimi exeuntem, & quartum inchoantem, & progredientem; ideoque nunc dici tertium, nunc verò quartum; probabilius tamen videtur, primum Nabuchodonosoris annum quarto, & quinto Joakimi respondere, sic enim docent Josephus *lib. 10. Antig. cap. 7.* Torriellus, *Anno 5. Etat. 407.* Et P. Sallianus, *Anno Mund. 3429. nu. 21.* optimè ostendit, septimo Joakimi anno respondere Nabuchodonosoris quartum; idque probatur ex *Jeremia cap. 52. v. 28.* aiente *Iste est Populus quem transtulit Nabuchodonosor in anno septimo Judæos triamillia, & viginti tres.* Hæc quidem est transmigratio Joachimi, facta vndecimo anno Joachimi, sive Joakimi patris sui, in cuius iam demortui locum, substituit Nabuchodonosor Joachinum, seu Jechoniam eius filium; vel quod eodem redit, iam à decē annis cum patre regnantem, in Regno perseverare passus est. Videtis quæ diximus *Dissert. 9.*

4 Porro autem Jechonia transmigratio seu captivitas facta anno vndecimo Joakimi patris eius, ut probatur ex *lib. 4. Reg. capit. 23. v. 36. Et cap. 24. v. 1.* non respondebit septimo anno Nabuchodonosoris, nisi primus respon-

deat

deat quarto & quinto, & secundus quinto & sexto, & ita deinceps. Dicendum ergo, primum Nabuchodonosoris annum quarto & quinto Joakimi respondere. Superest tamen exponere, ut Daniel asseruerit, quòd tertio Joakimi anno, ipse traditus fuerit in potestatem Nabuchodonosoris. Id quod lucem fortietur ex Beroso qui *lib. 3. rerum Chaldaicarum* apud Josephum *lib. 10. Antiquit. capit. 11. §. fin.* de Nabuchodonosore Seniore, sic scribit: *Pater autem Nabuchodonosorus audito quòd Satrapa, quem Ægypto, & Cælesyria, Phœniciaque præfecerat, à se defecisset, cum non posset amplius ferre labores militia, tradita iuniori Nabuchodonosoro copiarum parte, iussit eum contra illum proficisci, qui collatis signis cum desertore congressus, & ipsum devicit, & regiones eius ad suum Imperium retraxit. Interea pater Nabuchodonosorus apud Babylonem morbo absumptus est, cum regnasset annos viginti & unum.*

5 Nabuchodonosorus verò non multo post patris morte cognita, & constitutis Ægypti, ac reliquarum regionum negotijs, demandataque amicis cura captivorum Judæorum, Syrorum, Phœnicum, & Ægyptiorum traducendorum in Babyloniam cum exercitu, & impedimentis, ipse cum paucis per desertum Babylonem properavit. Et eum assumpsisset Regni administrationem, que in-

Difficultas ex Jeremia, &c. Sect. 14. 315
terim penes Chaldaeos fuerat, & ab eorum prima servata erat in eius reditum, factus est totius Imperij paterni Dominus. Ac primum omnium captivos recens adductos per opportuna Babylonia loca in colonias distribuit; deinde spolijs bello partibus Beli Templum, & alia quaedam magnificè exornavit. Hæc Berosus apud Josephum.

6 Unde subducitur, anno vno antequam Rex esset iunior Nabuchodonosor, ipsum expeditionem in Syriam, & contra Judæos suscepisse: ut constat ex illis verbis, *demandataque amicis cura captivorum Judæorum, Syrorum, &c.* Qui autem huiusce expeditionis annus fuit tertius Joakimi, ut inquit Daniel. Deinceps verò non statim à morte patris Regno eius successit Nabuchodonosor, quòd Babylone abesset, eique ab vno optimatum Proregem agente conservatum; ideoque non nisi quarto anno Joakimi regnare cœpisse, ut asserit Jeremias, *cap. 25. §. 1.* Cui expositioni adstipulantur P. Salianus, *Anno Mund. 3428. num. 3. 4. & 5.* Et Petavius *de Doctrina Temp. lib. 9. capit. 61. lit. C.*

7 Sed obiter adnotandum, quòd dum Berosus non solos Judæos captivos ponit, sed Syros etiam, Phœnices, & Ægyptios, non levem confusionis temporum suspensionem parit; cæterum illæ de tot nationibus, Regnisque victo-

riæ primis Monarchiæ, non verò Regni annis conveniunt; Nabuchodonosor quippè, cum annos Regni Babyloniorum ageret viginti quatuor, expugnavit Elamitas, Medos, Assyrios, Ninive funditus everfa, simulque Imperium suum longè maximum, ac potentissimum reddidit, adeò vt ab hoc anno Imperij annos numerare cœperit, vt ex *Daniel. capit. 2. v. 1.* colligunt identidem Interpretes, & Chronologi, Pererius, Torniellus, Sanctius, Maldonatus, diligenterque P. Salianus, *Anno Mundi 3453. num. 2. & 3.*

8 Subremanet tamen quædam elevanda difficultas, quoniam Jeremiæ *cap. 52. v. 28.* dicitur, quòd *transtulit Nabuchodonosor in anno septimo Judeos tria millia, & viginti tres*: eodemque anno diximus captivum abductum Joachinum, seu Jechoniam in Babylonem; at verò *lib. 4. Reg. cap. 24.* dicitur, quòd Joachin captus fuit à Nabuchodonosore anno octavo Regni sui. Respondeo, Joachimi seu Joakimi annos à primo anni sacri mense cœpisse decurrere, Nabuchodonosoris autem à mense quinto eiusdem anni, vt optimè notavit Caietanus in *Ultim. cap. lib. 4. Reg.* & post eum Torniellus, *Anno 407. quint. Etat.* nec non P. Salianus, *Anno Mundi 3429. num. 24. Et Anno Mundi 3436. num. 2.* Id quod colligunt ex Je-

Difficultas ex Jeremie. &c. Sect. 14. 317
rem. cap. 52. v. 12. Et v. 29. simul compositis:
 Itaque inchoatus erat Joakimi undecimus, & ultimus, per vnum mensem, eique successerat Joachinus seu Jechonias, imo & trimestre Regnum suum compleverat, cum septimus adhuc agebatur Nabuchodonosoris annus, nam octavus mense tantum quinto inchoabatur, vt dixi: ex quibus perspicuum fit, quòd dum *Jeremie cap. 52. v. 28.* dicitur anno septimo transtulit Nabuchodonosor Judæos tria millia, & viginti tres, intelligendus de adventu Nabuchodonosoris in Jerusalem, & de subiectione illius vrbs, quod contigit labente iam anno septimo Nabuchodonosoris; incepto autem per mensem anno undecimo Joakimi, ipse occisus fuit, regnareque cœpit filius eius Joachin, voluntate vtique Nabuchodonosoris, vt adnotat P. Salianus, cumque tribus mensibus, & diebus decem regnasset, mense quinto anni sacri, & incipiente octavo anno Nabuchodonosoris, in illius servitutem se tradidit, vt habetur *lib. 4. Reg. cap. 24. v. 12.* concinitque huic expositioni P. Mariana, dicto *capit. 24. lib. 4. Reg.* Potest etiam dici quod bis eodem anno sacro captivos in Babylonem abduxit, Nabuchodonosor, semel cum vrbe potitus occidit Joakimum; iterumque cum sese ei dedit Jechonias; ita ex Josepho P. Salianus, *Anno Mundi 3436. num. 19.*

SECTIO DECIMAQUINTA.

DISSOLVITUR OBIECTIO DESUMPTA
ex lib. Esther cap. 2. & 11.

I **O**PPONES quarto argumentum *ex lib. Esther cap. 2. & 11.* ibi enim proditum est, Mardocheum, qui vixit tempore Assueri, fuisse de numero captivorum Nabuchodonosoris cum Jechonia: unde subducitur, non potuisse septuaginta annos captivitatis compleri in primo anno Imperij Cyri, sed multis annis post: antecedens probatur *ex e. 2. libri Esther v. 5. & 6.* vbi ita habetur: *Erat vir Judeus in Susa civitate, vocabulo Mardocheus filius Jair, filij Semei, filij Cis, de stirpe femini, qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore, quo Jechoniam Regem Judæ Nabuchodonosor transtulerat, & cap. 11. eiusdem libri v. 4.* de ipso Mardocheo dicitur, *erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Jerusalem cum Jechonia Rege Judæ.*

2 Consequentia autem, supra posita, probatur, quia Mardocheus vixit tempore Assueri, seu Artaxerxis Longimani, mariti Esther, vt *ex eodem libro patet.* Porro Artaxerxes Rex, seu

seu Assuerus regnavit pluribus annis post Cyrum, quippè Cyrus Persis imperare cœpit anno sextæ ætatis primo, & Mundi 3517. Assuerus autem imperare cœpit anno Mundi 3590. & sextæ ætatis 74. vt ostendit P. Salianus in prædictis annis: Igitur cum à transmigratione Jechoniæ vsque ad desolationem fluxerint anni undecim, hinc si vsque ad Cyrum fluxissent anni septuaginta, cum à primo anno Cyri vsque ad initium Imperij Artaxerxis præterea lapsi fuerint anni septuagintaquatuor, sequeretur, quod anno secundo illius Assueri, quo scilicet tempore somnium vidit Mardocheus, *Esther cap. 11.* centum septuaginta annos ipse ægisset, si vel quatuordecim tantum ei demus, dum transmigravit Babylonem; sed neque tam annosam ætatem ferebant ea tempora, nec si tulissent, ea fuissent satis firma, & idonea ad res eas gerendas, quas gessisse Mardocheum, accepimus: ne igitur in hoc tam grave incommodum incurramus, septuaginta anni captivitatis aut desolationis ultra Cyrum extendi, & in Regno Darij saltem terminari debent.

3 Quòd si præfatus Assuerus non fuit Artaxerxes Longimanus, sed Artaxerxes Mnemō, vt Eusebius & alij existimant, ad plures annos Mardochei vita pervenire deberet, quoniam *Artaxerxes Mnemon imperare cœpit anno*
Mun-

Mundi 3550. & sextæ ætatis 134. apud Salianum, eodem anno.

4 Respondetur, argumentum haud minus virgere asserentes 70. annos captivitatis, & desolationis exordium cœpisse anno Joie 13. tum aientes hos septuaginta captivitatis annos cœpisse à transmigatione Jechoniæ, & annos desolationis à conflagratione Urbis, & Templi numerandos: tum denique asserentes eos desolationis annos finiri anno secundo Darij Hystaspis, quippè hic annus incidit in 17. sextæ ætatis, ideoque multo ante tempora Artaverxis sivè Longimani, sivè Mnemonis.

5 Præterea quod in prædictis locis Esther dicitur, Mardocheum fuisse de numero eorum captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor cum Jechonia, non significat, eum fuisse unum de illis, & qui simul cum illis, & Jechonia transmigraverit Babylonem, sed fuisse ex eorum captivorum stirpe, genere, ac semine; hoc autem in laudem Mardochei positum est: quòd is fuisset ex genere eorum, qui cum Jechonia, Dei iussis obtemperantes, ultro se Regi Chaldæorum dederant: non autem ex eorum stirpe, qui cum impio Sedecia, Dei monita contemnentes, deditionem facere recusabāt; id quod satis perspicuè significatur verbis supra adductis ex capit. 2. *Esther*, verba quippè illa

illa, qui translatus fuerat, referuntur non ad Mardocheum, sed ad Avum & Proavum eius Cis, licet alterum relativum, quod postea additur nempe, qui fuit nutritius *Esther*, ad ipsum Mardocheum sine dubio referatur.

6 Id ipsum illustratur a simili, nam *lib. 1. Esdra cap. 2.* Zorobabel, & Josue, & Nehemias dicuntur reversi in Jerusalem de captivitate, quam tulerat Nabuchodonosor, qui tamen nunquam viderant Jerusalem, nec translati inde fuerant, sed eorum parentes, aut avi: nam Zorobabel filius fuit Salathiel, quem Jechonias genuit post transmigationem Babylonis, ut dicitur *Matthæi cap. 1.*

SECTIO DECIMASEXTA.

INFRINGITUR OBIECTIO DESUMPTA ex annis vitæ Danielis.

I **O**PPONES quòd: Daniel cum Rege Joakim, anno Regni eius quarto, abductus est à Jerosolymis Babylonem, *Dan. 1. v. 1.* atque decem, minimum annorum tunc erat: ergo si exinde fluxerunt 70. 80. vel 88. anni, quot ponunt Authores nostræ sententiæ vsque ad liberationem Judæorum, iam imperante Cyro, & Dario, fuisset

set Daniel ferè centenarius; atqui tantus senex non fuisset à Dario præpositus supra centum viginti Satrapas, *Dan. capit. 6. v. 1.* vt Darium Regem sexagenarium, *Danielis cap. 5. v. ultimo*, subleuaret ipse penè centenarius: ergò dicendum est, nec ab vndecimo anno Sedecia, qui post Joachinum, Judæ Regnum obtinuit, vsque ad annum primum Cyri fluxisse annos septuaginta: ita P. Tirinus, *in Chron. c. 36.*

2 Respondetur primò, P. Pererium in *Præfat. ad Commentariorum libros, quos in Daniele* conscripsit, admittere quòd, cum Babylonem captivus Daniel ductus est, decimo anno non fuit maior: & postea solutæ captiuitatis tempore fuisse centenarium, nec absurdi quidquam reperitur in eo, quòd à Dario Medo constitutus fuisset Daniel super tot Principes, & Satrapas, cum iam senio confectus esset Prophetas; quoniam non Corporis viribus, sed animi, & intellectus, Dei que scientia, & prudentia, qua eximie præditus erat, id muneris præstantèr gerere valuit; spiritus enim Dei amplior erat in illo, vt habetur *Danielis capit. 6.* quin etiam Darius tanti Prophetæ prudentia, fideque confusus vniversi regiminis molem humeris eius imponere cupiebat, magnam Danieli apud Medorum, & Persarum Principes inuidiam, & ex hac periculum creavit.

Con-

3 Consequentèr P. Pererius *loco citato*, docet, quòd Scripturam manus in pariete scribentis, annos natus propè centum, Daniel explanauit, & quòd ipse centenarius cum esset liberationis Judæorum tempore, nimio confectus senio defectusque viribus in patriam cum suis Popularibus non est reuersus, quia tam longum & laboriosum iter commodè non potuisset peragrarè; vel potius, quia eius remansio & præsentia apud Regem, apud quem gratia, & autoritate plurimum valebat, iuvandis, promovendisque Judæorum rebus multo vtilior futura erat: vel etiam, vt inquit Theodoretus *super 10. cap. Danielis*, vt Judæorum, qui remanserant quam plurimi, Doctor & defensor esset, quæ omnia amplius confirmantur ex sententia D. Isidori *lib. de Vita, & obitu PP. veteris testamenti*, vbi ait Danièlem centum decem annos vixisse.

3 Respondeo secundò, probabiliter, aut probabilius existimari posse, anno regni Joachimi primo, natum fuisse Danièlem, quem S. Epiphanius in eius vita, abductum ait in captiuitatem pusionem, adhuc vel infantem, ea enim contigit anno Joakim tertio, quando scilicèt Daniel tertium circitèr annum agebat ætatis, cui nomen pusionis, & infantis rectius convenit, quàm puero decenni: Sulpitius

X 2

etiam

etiam *lib. 2. Sacrae Historiae*, non modò puerum; sed etiam parvum puerum appellat: idem que placitum arridet Torniello, *Anno 5. aetatis 404. tum P. Saliano, Anno Mundi 3426. num. 22.* nec absurdum est, infantem delatum in eam captivitatem; quoniam ibi non tam captivus, quam obses futurus fuerat, ut qui erat Regij sanguinis, ut tuto Joakim remitti posset in Regnum suum; sed & Susanae iudicium, quod plerique Sancti Patres, anno eiusdem Danielis duodecimo contigisse dicunt, cum hac positione rectè convenit, cum altera convenire non potest.

4 Hinc autem conficitur, quòd tempore soluta captivitatis nonagenarius non erat Daniel, ut eo anno notat Salianus; quamobrem adhuc non nimis senis confectus erat, sed haud infirmis viribus potens iuxta D. Isidori Chronologiam, *lib. de Vita & obitu Patrum cap. 40.* cui subscribitur Sanctius in *Danielem, Pròl. g. 3.* Cornelius Alapide, in eundem, in *Proleg. quaesito 1. sine*, Salianus *Anno 3535. num. 1.* qui concedunt, Daniele ad centesimum decimum aetatis annum pervenisse: totidem enim ab ortu huius Prophetæ numerantur anni, nimirum tres ante initium Regni Nabuchodonosoris; tum decem octo eiusdem Regis ante desolationem Jerusalem, à qua septuaginta anni Ba-

by:

bylonicæ captivitatis fluxerunt: item Cyri, septem, Cambyfis octo, Darij quatuor, ex quibus conficitur summa 110. annorum, & multiplici tandem via invalida ostenditur prælibata obiectio.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

*ELEVATUR OBIECTIO DE PROMPTA EX
fletu Sacerdotum, & Seniorum, qui viderant
Templum prius destructum, & aliud denuò
edificatum, lib. 1. Esd. cap. 3. V. 12. &
ex Aggai cap. 2. V. 4.*

1 **N**ULLUM non movet lapidem P. Tirinus, ut nostram communemque convellat, diruatque sententiam, licet ipse non assentiri plenè his obiectio- nibus asserat; ex illo igitur oppones sextò. Esdras filius Saraia Pontificis, in excidio Urbis capite plexi, & plures alij ex Judæis Levitæ, & Principes Patrum, & Seniores, sexto anno Darij Hystaspis, tertij Persarum Monarchæ, flebant, cum viderent secundum Templum non respondere magnificentiæ, & splendori prioris Templi à Nabuchodonosore everfi, quod etiam ipsi oculis viderant: igitur fieri non potuit, ut ab excidio Urbis, & Templi inchoa-

X 3

ren-

rentur captivitatis, & desolationis anni septuaginta; consequentia est bona, nam ut primum Templum, ac secundum sic videre potuissent præfati Judæi, opus erat, eos centenarijs maiores fuisse, cum tamen constet vix illos, ea Mundi ætate, ad tantam senectutem devenisse; antecedens autem, quo obiectio nititur, probatur ex *lib. 1. Esdræ cap. 3. v. 12.* ubi dicitur quod plurimi etiam de Sacerdotibus, & Levitis, & Principes Patrum, & Seniores, qui viderant Templum prius, cum fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum, stebant voce magna. Porro istud secundum Templum perfectum esse sexto anno Darij, constat ex *lib. Esdræ 1. cap. 6. v. 15.*

2 Confirmatur ex *cap. 2. Aggæi, v. 4.* aientis: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc, nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Igitur certo constat, aliquos ex Judæis, qui viderant primum Templum, à Nabuchodonosore concrematum, vidisse etiam secundum, post libertatem Judæorum restructum, & proinde fieri non potuit, ut anni septuaginta desolationis inchoarentur à conflagratione Urbis, & Templi.

3 Respondeo, Sacerdotum, ac Levitarum numerum, de quo *Esdræ, cap. 3.* non contigisse anno,

no, quo completa fuit Templi ædificatio, sed potius anno, quo eiusdem Templi fundatio est facta, seu reedificatio coepta, ut infra ostendemus. Deinde Templi instauratio post solutam captivitatem duplex est discernenda: prima, quæ confecta fuit anno secundo Cyri, ac libertatis, & adventus Judæorum in Jerusalem, quæ describitur ab *Esdra lib. 1. cap. 3. v. 8.* & sequentibus, his verbis. *Anno autem secundo adventus eorum ad Templum Dei in Jerusalem mense secundo: (in 3. Esdræ cap. 3. v. 57. additur, in novilunio secundi mensis, sicut habetur etiam in Græco Sixti) ceperunt Zorobabel filius Salatiel, & Josuè filius Josedeob, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Levita omnes, qui venerant de captivitate in Jerusalem, & constituerant Levitas à viginti annis & supra, uturgerent opus Domini: & v. 10. fundato igitur à cementis Templo Domini, steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & hæc fuit prima Templi reedificatio.*

4 Altera, & secunda Templi fundatio celebrata fuit anno 2. Darij Hystaspis, apud Aggæum Prophetam *cap. 2. v. 19. Et cap. 1. v. 2. Et v. 14.* cum enim multis iam annis intermissa fuisset ædificatio Templi, simul & multorum zelus, pietas que refrigerant, & ad studium reum privatarum converfi, domos sibi splendidas

das ædificarent, agriculturam colebant, vineas, agros oliveta; sed ita, vt Deo minime operibus ipsorum benedicente, rerum victui necessariorum penuria premerentur, quæ fuscè Aggæus prosequitur *cap. 1. v. 6. Et cap. 2. v. 17.* & 18. vbi ait quòd eius rei causa esset, quòd domum Domini deseruissent; post modum, vt in eodem habetur *cap. 1. v. 13.* & 14. *suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filium Salathiel ducis Judæ, & spiritum Jesu filium Josedech, Sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni Populo, & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui, in die vigesima quarta sexti mensis eiusdem anni secundi.* Nam hæc notatio temporis, quæ initio *cap. 2.* legitur, ad finem *capit. 1.* pertinet, vt consentiunt omnes antiqui, recentiores que Interpretes, apud P. Salianum *Anno 3533. num. 31.* à quibus non discedit P. Tirinus supra textum Aggæi, quamvis in Hebreis, Græcisque Codicibus eadem transpositio reperiatur.

5 His prælibatis, dicimus quod planctus Sacerdotum, & Levitarum contigit iuxta Esdræ in Templi prima fundatione, quæ facta est anno secundo Cyri Persarum Regis, vt liquidum fit ex ipso Esdræ *textu lib. 1. capit. 3. v. 8.* cuius supra exaravi verba; cum enim ex ipso initio *libri 1. Esdræ* constet; anno primo

Cy-

Cyri, Judæos adepta libertate in Judæam reversos fuisse, eorum adventus in Jerusalem annus secundus fuit etiam Regni Cyri secundus: vnde nullatenus opus erat, quòd Judæi tunc temporis stantes propter ruinam Templi prioris, quod ipsis vidisse datum fuerat, centenarijs maiores essent, cum nec deberent esse nonagenarij, imo nec octogenarij; quoniam à Templi conflagratione vsque ad illud tempus reedificationis Templi secundi, solum vnus & septuaginta anni fluxerunt; mense quippè secundo anni secundi eorundem Judæorum libertatis, dicuntur iacta prima Templi secundi fundamenta, 1. *Esdr. cap. 2. v. 8.* additisque septem annis pueritiæ, vt scilicet possent seniores illi prioris Templi meminisse, tantum conficietur septuaginta octo anni, quibus vita eorundem Seniorum, & Levitarum protensa fuerit.

6 Unde colligitur, minus rectè P. Tirinum hunc seniorum stetur, de quo *Esdras capit. 3.* ad Darij annum sextum referre, cum pertineat ad secundum Regni Cyri annum, cum ab Esdra describatur, contigisse in prima Templi fundatione, id est, viginti fere annis ante tempus à P. Tirino suppositum.

7 Cæterum quoniam Aggæi *cap. 2.* ex quo petitur obiectio confirmatio, mentio est fundationis secundæ factæ Darij tempore, ele-

va-

vatur etiam difficultas, si recta observetur Chronologia; nam verba illa Aggæi *cap. 2. v. 4. quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam, &c.* non fuerunt à Vate prolata, anno sexto Darij Hytaspis, sed potius anno secundo eiusdem, vt idem Propheta enunciat, suum consignas vaticinium, *initio capitis secundi* per hæc verba: *in die vicesima quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darij Regis:* eo siquidem anno commonente Zoróbabele, & adnidente Aggæo, consurrexit vno animo Populus vniversus ad Templum Domini ædificandum, vel ad illa fundamenta tempore Cyri iacta, vel alia parte, in qua nondum cœpta fuerant, vt notarunt P. Sa, & Ribera in *Aggæum*, à Castro autem *lib. 1. Esdræ cap. 3. v. 8.* putat ædificationem Templi intermissam, tunc iterum continuatam; id tamen extra dubium est, præfata verba Aggæi ad secundum Darij annum pertinere.

8 Tum sic: à libertate Judæorum vsque ad id temporis decem septem anni connumerandi sunt; nempe Cyri septem, iuxta Xenophonem *in lib. 8. Pædiæ Cyri.* Vide P. Riberam *capit. 1. in Zachariam, num. 53.* Torniellum *in 6. abate Anno 48. num. 1.* Salianum *Anno 1. & 7. Cyri,* cum pluribus alijs; Cambyfis autem septem, & menses quinque, iuxta Hero-

dotum *lib. 3.* quem sequitur Freculphus *lib. 3. cap. 19.* Pererius, Torniellus, Ribera, Gordonus, Samerius, Mercator, quos laudat P. Salianus, *Anno Mundi 3524. num. 2.* è Sectarijs etiam Functius & alijs; septem verò menses, qui reliqui erant ad implendum octavum annum Imperij Cambyfis, regnavit Smerdes Magus, vt ex Herodoto, & alijs, docet Salianus, *Anno Mundi 3531. num. 7.* nec dissentit P. Tirinus, quamvis eisdem septem menses successori adscribat.

9 Sequentis anni initio Darius capescit Imperium, vt communis tenet sententia, cui subscribit Tirinus. Porrò Darij anno secundo, eiusque initio, fundatum est Templum, illiusve ædificatio reassumpta fuit: *1. Esdr. c. 2.* igitur decimo septimo anno incepto à reditu Judæorū in Ierusalē, allocutus est Aggæus, appellabatque Judæos; quibus annis si addantur sex, aut septem ante captivitatem, & desolationem Urbis & Templi, & ipsius captivitatis septuaginta, conficietur annorum summa nonaginta trium, aut nonaginta quatuor pro vita Sacerdotum, aut Seniorum illorum, quibus sacra eloquia promebat Aggæus; at nihil absurdum reperitur in eo, quòd aliqui nonaginta quatuor annorum tunc temporis reperirentur; liquidum ergo est, haud rectè P. Tirinum as-

seruisse, ex nostra sententia fieri non potuisse; ut aliqui ex his, qui viderant Templum primum, vidissent etiam secundum, in illius fundatione; maximè cum Aggæus significet, non plures, sed per paucos tunc existere potuisse, qui prioris meminissent Templi, idcirco ait, *siquis in vobis, &c.* Unde P. Gordonus in expositione Aggæi hæc habet: *Non sanè impossibile erat, ut superesset tunc aliquis, qui vidisset Templum Salomonis; vix enim ab excidio Templi effluerant nonaginta anni, ut docebunt anni nostri expansi:* hæc ille. Et in hac nostra ætate posteriori, aliquos nonagenarijs maiores extitisse, novimus.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

OBIECTIONEM EX LIB. 4. ESDRÆ,
*cap. 3. v. 1. Et cap. 4. v. 44. desumptam
efringit.*

I **OPPONES** 7. ex eodem P. i. Tirino: *Esdra lib. 4. cap. 3. v. 1. & 29. item cap. 4. v. 44. semper trigelimi anni ruinæ Civitatis, nec vltioris vnquam anni meminit, & cap. 10. v. 27. dicitur Civitas Jerosolymitana ædificata anno trigelimo ruinæ suæ; nam de hoc loquitur: ergo à desolatio-*

tione Urbis, & Templi vsque ad Judæorum libertatem non effluerunt anni septuaginta; ac consequenter non rectè assignatur à nobis initium, & finis horum septuaginta annorum. Et quidem licet Esdræ liber iste 4. Canonicus non sit, longè tamen maioris est autoritatis, quàm prophanæ Historiæ, citatur que à Sanctis Patribus Ambrosio, *lib. de Bono mortis*, Cipriano, *ad Demetrium*, Hieronymo, *libro contra Elvidium*, Irenæo, *lib. 30. contra Hæreses, cap. 5. Et Tertuliano, lib. de Habitu mulierum*, Isidoro, *lib. 6. Ethimologi. cap. 1.*

2 Imo, & Sanctus Ioannes Apostolus sæpè ad hunc librum alludere videtur, *Apoc. 6.* alludit ad *caput 4. v. 35. & 36.* Et ad *caput 1. & 5. v. 8. Apoc. 12.* cum capite 9. *hic v. 38. Apoc. 18. 15. & 16.* Et Ecclesia nonnunquam sententijs inde depromptis utitur, etiam in Missa, videlicet in Introitu feriæ tertiæ Pentecostes, utitur sententia *capitis 2.*

3 Respondeo primò, Esdræ autoritatem in his libris, 3. & 4. non Canonicis, retorqueri in obijcientem, quia *lib. 3. c. 1. v. 58.* vbi sermo est de captivitate Babylonica post Templi, & Urbis conflagrationem, sic habetur: *omni tempore desertionis suæ Sabbathizavit (terra nimirum Judæorum) in applicatione annorum septuaginta.* Atqui dum tempore Josiæ, Joakimi, & Se-

decia stetit Judæorum Regnum, utique eorum terra non sabbathizavit, ut exploratum est: igitur quia desolationis septuaginta anni, non à decimo tertio Josiæ anno, sed ab ipsa desolatione Urbis incohandi veniunt, & propterea terminandi initio Regni Cyri, seu Imperij Persarum, ut in eodem *lib. 3. cap. 1. asseritur*.

4 Respondeo secundo, Esdras authorem libri 3. & 4. etsi cognominem, diversum fuisse ab Esdra authore 1. & 2. libri Canonici, prout edocet Nicolaus Lombardus, *Commentario, in Esdras, quæst. 4. annotatione Proæmiali*, ubi de 3. & 4. libro Esdræ ait, *ab alio potius, quam ab Esdra eosdem libros fuisse compositos, probabilius existimo, ac penè certum, quidquid senserit Sixtus Senensis*; ne scilicet idem Sacer Scriptor vno tempore vera, & sancta astante spiritu, deinde inania, aut fabulosa, ex sensu suo mandasse censeatur.

5 Unde in locis in obiectione adnotatis quamvis solum anni 30. ruinae Urbis, & Templi memor sit Esdras, ex eo tamen non conficitur, quòd illo eodem trigésimo anno instaurata fuerit Civitas, quia Esdras, qui libertatem Judæorum, tempore Cyri adeptam, conscripsit, *lib. 1. cap. 1.* fuit diversus author, & posteriori longe tempore floruit, nimirum tem-

pore Artaxerxis Longimani, ut fert communissima Antiquorum, & Recentiorum sententia, præcipuè ex Eusebio, *Anno sexto Artaxerxis huius, Julio Africano apud S. Hieronymum in cap. 3. Danielis, Theodoreto in Ezechielem Sect. 2. & in Daniele lect. 9.*

6 In Recentioribus in eadem est sententia Torniellus *Anno 6. ætatis 149.* Gordonus, & Samerius in suis Chronologijs, Ludovicus vires in *D. Aug. lib. 18. de Civitate Dei, capit. 36.* Genebrardus, & Adrichomius, Pererius in *Daniel. lib. 15. in Indice Regum Persidis, & lib. 11. quæst. 4.* Salianus, *Anno Mundi 3595. numer. 3.* ubi ostendit hoc Esdræ florentis tempus concurrere cum anno septuagesimo nono libertatis Judæorum, idem que Salianus, *Anno 3556. num. 1.* cum Torniello, *Anno 110. 6. ætatis*, existimant Esdras natum fuisse anno quadagesimo à libertate Judæorum.

7 Quam optimè ergo fieri potuit, quòd Israelitæ septuagesimo anno à desolatione Urbis nacti fuerint libertatem, & quòd Esdras in *4. lib.* solum meminerit anni trigésimi desolationis; quoniam hic Esdras, *3. & 4. libri Author*, alius est ab Authore *libri 1. & 2. Canonici*, floruit que multò ante tempus Esdræ, qui nobis descripsit Judæorum liberationem in *lib. 1. & tempore Cyri factam*; ideo prius il-

ille Esdras non pervenit ad tempus libertatis
Judæorum, & solutæ eorum captivitatis.

8 Sed opponat quispiam, Esdras *lib. 4. cap. 10. v. 27.* meminisse ædificationis Civitatis Jerusalem: pervenit igitur ad tempus solutæ captivitatis. Respondetur non loqui ipsum de ædificatione iam effecta, sed de futura, & in visione sibi ostensa, ut cernere est ex eodem *lib. 4. cap. 9. v. 38.* ubi visio incipit, & ex illis verbis *cap. 10. v. 26.* *Et vidi, & ecce amplius mulier non comparebat mihi; & v. 37. Nunc ergo deprecor te, ut demonstres servo tuo à excessu hoc;* id autem excessus, aut vaticinationis quamvis evenerit anno trigésimo ruinæ Civitatis, ut ex eodem *lib. cap. 3.* deducitur, minime inde evincitur, quòd eo trigésimo anno cœpta fuerit eiusdem Urbis Jerusalem instauratio, sed solò, quòd in mentis excessu, ædificatio illa fuerit cognita, & prædicta.

SECTIO DECIMANONA.

IT OBVIAM ARGUMENTO EX REGIBUS Medorum, Persarum, Ægypti, & Lydorum inducto.

1 **O**ppones octavo, etiam ex P. Tirino, ex prophanis scilicet historijs, quantum ex sacris literis, probatisque Authoribus
de 2

deduci potest, ingeniosè sic arguente, & primò inspectis Medorum, Persarum, & Ægypti Regibus, ab initio Regis Astyagis, qui cum Patre suo Zyxare, decimo tertio anno Josiæ, Regis Juda, expugnavit, & excidit regiam Assyriorum Urbem Niniven, ut P. Tirinus inquit, usque ad initium Cyri Persarum Regis, qui evicit Astyagem, non reperies nisi triginta quinque annos Astyagis, & septem, quibus cum Zyxare patre suo regnavit, id est, quadraginta duos, quibus adde viginti septem Regni Cyri in Perside, priusquam Babylonem expugnaret, & Monarcha fieret, non habebis nisi sexaginta novem annos à decimotertio Josiæ usque ad primum annum Monarchiæ Cyri, igitur à desolatione Urbis usque ad Cyrum non interfuerant anni septuaginta.

2 Secundò, si Reges Lydorum observes, inter Halyattem patrè Croësi, vna cum Astyage Medo, Niniven eodem anno 13. Josiæ expugnantem, & ipsum Croësum, nullus alius Rex intercessit; & tamen post necem adhuc Cambysis, ipso initio Darij Hystaspis, erat Croësus etiam in vigore ætatis, teste Herodoto *lib. 3.* & alijs.

3 Tertiò: si Reges Ægypti, inspiciamus, idem conficitur, nam Aprie seu Vaphrie multis annis, teste Scriptura, regnavit, certavitque

cum Nabuchodonosore Magno, & tamen filia
Aprie, seu Vaphries tempore Cambylis, cum
ipse expugnaret Ægyptum, erat adhuc iuven-
cula, seu vt Herodotus initio *lib. 3.* loquitur,
puella, quam Cambyfes expetebat. Hæc verò
omnia pro certo conuincunt, non potuisse à
morte Nabuchodonosoris vsque ad initium
Persicæ Monarchiæ, nisi paucos annos effluere,
& proinde ab Urbis desolatione vsque ad pri-
mum Imperij Cyri annum septuaginta capti-
uitatis annos non posse reperiri.

4 Respondeo in primis, quòd, vt adnotat
P. Gordonus in *Chronologia, periodo 6. ad an-
num Mundi 3368.* multa de Astyage, Zyaxa-
re, & Orientis Principibus alijs narrantur ab
illorum temporum Scriptoribus, quæ tamen
ista sunt aut pugnantia, aut incerta ex nomi-
bus Principum varijs, aut etiam tam parum di-
ligentè collecta, vt vsque ad Imperium Cyri
Persicum, vix sit extra Sacras Scripturas Au-
thor, cui tutò se lector committere possit.
Quamobrem argumentum, ex prædictis Histo-
rij desumptum, parum efficax esse potest; præ-
sertim cum ex Sacris Scripturis nostra senten-
tia probata sit.

5 Nihilominus concedo, quòd Astyages
trigintaquinque annis regnarit, vt tradit
Diodorus Siculus, quamvis Eusebius, & Tor-
niel-

It obuiam argumento, &c. Sect. 19. 339
niellus triginta octo. annos ei tribuant; cate-
rum illi 35. anni inchoandi sunt non à 13. Jo-
sifæ Regis Judæ, vt vult Tirinus, sed potius à
Jechonia, & transmigrationis vigesimo quarto,
ac desolationis decimo tertio, necnon à 31.
Nabuchodonosoris, vt docet P. Saliatus, *An-
no Mundi 3459. num. 1.* Deuicto autem As-
tyage à Cyro, ipse Persarum Regnum obtinuit,
& Darius Medus in Media, Cyro permitente,
regnare cœpit, vt notat prælaudatus Saliatus,
Anno Mundi 3494. num. 1. & 2. Porro Cyrus
in Perside, & Darius Medus in Media, ante-
quam Babylonem Cyrus expugnaret, & Mo-
narchia fieret, regnaverant viginti tres annos,
vt docent P. Ribera in *cap. 1. Zacharia, num. 8.*
& *sequentibus.* Torniellus, *Anno 6. ætatis 48.*
num. 2. & ex Herodoto, Beroso, Græcisque
perantiquis, nec non ex Hebræis evincit P. Sa-
liatus *Anno 3516.* Prædictis verò annis simul
connumeratis, nempe desolationis 12. Astya-
gis 35. Cyri, & Darij 23. conficitur summa
annorum 70. à desolatione vsque ad primum
Monarchiæ Cyri annum: inspectis utique Me-
dorum, ac Persarum Regibus.

6 Nec magis vrget, quòd à P. Tirino op-
ponitur ex Lydorum Regno, quoniam vt P.
Gordonus tradit *Chronologia tom. 1. cap. 10. pe-
riodo 5. num. 28.* in huius Regni Regibus, post

alios numerantur Haliattes, Meles, Candaules, Gyges, & Gygis pronepos Crœsus Lydiæ Rex ultimus: igitur cum Tirinus immemor sit Regum Lydorum, qui interfuerunt ab Haliatte vsque ad Crœsum, ipsius Chronologia in hac parte fallit, & parum, aut nihil nobis officit.

7. Et quoniam haud vulgaris est horum Lydorum Regum notitia, notandum est, quòd cum huiusce Regni, nec primos Reges, nec initia temporis omnino explorata habeamus, eorum Regum series à Chronologis cum Eusebio inchoatur à Rege Ardiso Heraclida, qui tam solet primus vocari; porrò Regnum hoc duravit vsque ad captum Crœsum, vnde stetit Regnum istud annis 233. iuxta P. Gordonum; nam ab anno 3224. quo cœpit regnare Ardissus, fluxere anni 63. vsque ad Gygem; à Gyge vsque ad Crœsum captum anni 170. ex Herodoto *lib. 1.* qui duo numeri efficiunt 233. quibus stetit hoc Regnum: estò ex aliorum sententia 230. duntaxat. permanserit.

8. Præterea falsum est, quod Tirinus ait, nempè Astyagem Medum anno 13. Josiæ regnasse, vt supra diximus, cum potior videatur sententia asserens, anno decimotertio desolationis Jerosolymitanæ, & magni Nabuchodonosoris anno trigesimo, primo Astyagem regnare cœpisse, ex traditis à P. Saliانو, *Anno*

Mund. 3459. minimè ergo fieri potuit, quòd Tirinus ait, videlicet Astyagem 13. anno Josiæ Niniven expugnasse; quinimo à vero abest, quòd Astyages expugnaverit Niniven, eo anno, seu Josiæ tempore; quoniam licet fateamur captivatem Ninive, de qua *in lib. Tobia,* in Regnum Josiæ incidere, nam vita iunioris Tobia cum non protendatur ultra decimum sextum annorum Tobia, vt ostendit Salianus *Anno 3377. num. 7.* oportet Niniven primis annis Josiæ captam fuisse, idque Tobia ante mortem innotuisse, de quo supra *sec. 1. à n. 11.*

9. Tamen Assuerus Rex Medorum, qui Niniven tunc temporis expugnavit, non fuit Astyages, vt vult P. Tirinus in obiectione, Pontacus enim in Chronico Eusebij, pag. 110. ait, plerisque viris do&is placere, vt ille Persarum Rex sit Cyaxares, idque affirmat P. Serrarius *in esp. 14. Tobia, quæst. 3.* Et Eusebius *Anno 6. Cyaxaris Regis Medorum,* ait, ipsum adversus Assyrios dimicantem Niniven Civitatem cœpisse, & rursus anno eius quadragesimo secundo, inquit, eundem Cyaxarem Niniven Civitatem subvertisse, qua in re secutus videtur Herodotum *lib. 1.* quamvis Herodotus in eo dissideat, quòd asserat tantum Cyaxarem castra movisse ad Civitatem Niniven, studio vlciscendi Parris, qui in ea expeditione

perierat; interea autem supervenisse Scythas, à quibus Assyæ Imperium per viginti octo annos possessum fuerit, quibus expulsis, & interceptis, & sua recepisse, & Niniven expugnasse. At Phraortem patrem Cyaxares fuisse Assuerum, & non Cyaxarem tenet P. Saliarius *Anno 3377, num. 9.* igitur cum iuxta Eusebium, Herodotum, & alios, ante Astyagem Regnum obtinuerit Cyaxares, & ante illum Phraortes, perperam P. Tirinus ait Astyagem Josiæ tempore Niniven expugnasse.

10 Sed pro Tirino dices, inter Lydorum Reges duplicem extitisse Halyattem, primum Ardisi successorem, interiecti que alijs Regibus, secundum Halyattem fuisse Sadyattis successorem, & Crœsi patrem, igitur quam optimè stare potest, ut Halyattes cum Medorum Rege Niniven expugnaverit, Josiæ tempore. Caterum contra iterum, quia concessio, quod Halyattes fuerit Crœsi pater, & successor Sadyattis, tuit evasio: quoniam iuxta Eusebium, Halyattes pater Crœsi regnavit annos quadraginta novem Crœsus vero quindecim.

11 Iuxta Herodotum autem idem Halyattes regnavit annis 57. Crœsus 14. Præterea Crœsus superatus fuit à Cyro, Olympiadis quinquagesimæ octavæ anno primo, iuxta Eusebium, ut notat P. Petavius, *tomo 2. de Doctrina*

trina temporum lib. 10. cap. 5. hic verò annus incidit in annū ab Orbe condito 3506. & desolationis 60. à quo tempore ascendendo vsque ad initium Regni Halyattis, sunt anni 64. iuxta Heorodotum verò sunt anni 61. ergo non potuit Halyattes Regnum obtinere anno 13. Josiæ, à quo vsque ad devictum Crœsum à Cyro lapsi fuere anni 99. quia annus 13. Josiæ fuit 347. ab Urbe condita, & Olympiadis 33. annus secundus iuxta communem, & P. Saliarii Chronologiæ quapropter viginti annos, antequam Halyattes Regnū obtinuisset, à Tirino asseritur Lydorum Rex, & expugnator Ninives: nihil igitur muniminis pro sua sententia, nec oppugnationis adversus nos ex eo Lydorum Regno confici potest. Illud autem Exordiū cœpit, ut ex Eusebio habetur, aliquot annis post finitam Assyriorum Monarchiam, & biennio ante primam Olympiadem, in quo tandem post Heraclidas, quorum primus fuit Argon, & post multos Ardifus, & alios de quibus supra, regnavit Crœcus. Alij tamen Ludios, aut Lydios à Lud filio Sem deducunt, ut adnotat P. Gordonus *to. 1. cap. 10. ad periodum 5, num. 28.*

12 Nec magis obest, quod à P. Tirino asseritur, Darij Hystaspis Regni initio in vigore atatis fuisse Crœsum, fallit enim Herodoti Chronologia in hac parte, siquidem Darius

Hystaspis imperare cepit Olympiade 64. anno 4. iuxta P. Gordonum, & Petavium in suis Chronologijs; iuxta Salianum verò anno 3. eiusdem olympiadis 64. at Cræsus obierat precedenti tempore, scilicet Olympiadis 59. anno 1. qua videlicet Archilochus, Cercyræus cursu, Praxidamas Ægineta pugilatu, victores facti memorantur, Cræsus, mortuus perhibetur, ut etiam est in Olympionicarū cathalogo. accinitque Salian. probabile censens, *An. Mund.* 35 10. *num.* 2. hominem à tanto fastigio ad tantam calamitatem repente deturbatum Olympiadis 58. anno 1. mœrore animi citò contabuisse; etsi Herodotus etiam ad Cambysem vsque, Cyri filium, vixisse referat, quod minus verisimile est, præsertim si vera sunt, quæ Ctesias inquit, nempe Cræsi filium obsidem Cyro datum in patris conspectu interfectum, eamque calamitatem eius matrem intuitam è muro se præcipitem dedisse, ipsum autem Regem læpius repetitis vinculis fuisse colligatum).

13 Unde satis luculentè conficitur, stare non posse, quod Tirinus aiebat, nempe Darij Hystaspis Regni initio Cræsum in vigore ætatis fuisse, cum iam tunc mortuus esset, nec magis feliciter ex Egypti Regibus adversum nos arguit idem Tirinus ex eo videlicet, quòd Vaphries magni Nabuchodonosoris fuerit syn-

chro:

chronus, & tamen Vaphries filia tempore Cambysis, cum & ipse expugnaret Ægyptum, erat adhuc iuvenula; parum inquam, id obest, quod ut inclarescat, notandum venit, Vaphriè, de quo P. Tirinus, appellari Ephrèè, apud Jeremiam *ca.* 44. *v.* 30. qui Ephrèè à Septuaginta Interpretibus, Eusebio, Theodoro, Clemente Alexand. Vaphre, seu Vaphres dicitur; à Chaldæo Paraphraste confunditur cum Nechao, qui huius avus fuit, ut tradit Herodotus, sub *finem lib.* 2. quem vocat Necum, & illi decem septem Imperij annos tribuit, eique successisse ait filium eius Psammim ad sex annos, deinde nepotem Aperiem ad viginti quinque, sic enim vocat eum, quem nos Ephrèè, seu Vaphriem, ut sentit Eusebius. Igitur asserimus, quod Apries filia, Nitetis nomine, tempore, quo Cambyles expugnavit Ægyptum, neutiquam iuvenula esse poterat; quia etsi illam natam dicamus anno ipso, quo pater eius Aprie mortuus fuit, quadragesimum iam tunc annum, aut etiam quinquagesimum superebat, dum scilicet Cambyses dicitur amavisse illam, imminabat quippè eo tempore mors Amasis Regis Egypti, qui à morte Aprie regnavit annos quadraginta quatuor, ut ait Herodotus, *lib.* 3. aut 55. ut vult Diodorus Siculus *lib.* 1.

Por-

14 Porro Amisis circa illud tempus mortuus fuit, quo Cambyfes Rex Perfarum expeditionem suscepit contra Ægyptum, qui fuit annus tertius Olympiadis sexagesimæ tertiæ, vt tradit Diodorus *lib. 1.* ante hunc verò annum fuisse mortuum Amasim, ex eo apertè constat, quod Cambyfes in Ægyptum veniens Regem invenit Psammenitum, qui Amisi successerat, vt ait Herodotus in *Thalia, & lib. 3.* ergo stare nequit, quod Cambyfes, cum expugnaret Ægyptum, reperit Apries filiam adhuc iuvenulam, vt vult P. Tirinus, qui proinde videtur annos non paucos omittere, & absque sufficienti ratione tempora contrahere, vt nostram reiiciat sententiam; at inefficaciter; tum quia ex Herodoto, & Eusebio Regum Ægypti Chronologia hæc fuit; Nechao regnavit annis 17. Psammis 6. Vaphrie 30. Amasis 44. vel 45. Psammenitus 1. Unde reiicitur Tirini obiectio: præterea videtis P. Salianum ad *Annum Mundi 3524.* vbi quasi fabulosum refutat quod de Apries filia, postea probavit Tirinus.

15 Denique falsum est, à Nabuchodonosoris obitu vsque ad initium Persicæ Monarchiæ paucos admodum annos fluxisse, quoniam post Nabuchodonosorem Magnum, eius filius Evilmerodach Imperium Babylonicum obtinuit annos viginti tres: deinde eius filius Bal-

It obuiam argumento, &c. Sect. 19. 347
Balthasar annos viginti vnum, vt ostendimus hac dissert. Sec. 10. ex quibus annis cum viginti sex Nabuchodonosoris à desolatione Ierosolymæ fiunt anni septuaginta captivitatis, vsque ad primum Monarchiæ Cyri.

[SECTIO VIGESIMA.]

*ENODATUR DIFFICULTAS EX ÆRA
primi Nabon-Assaris, quæ nostram videtur
expugnare sententiam.*

1 **O**PPONIT nonò P. Tirinus argumentum, quod penè infallibile ipse putat contra nostram sententiam ex Æra primi Nabon-Assaris; nam Ptolemæus (cui nemo fidem facillè negabit) *lib. 5. Almagesti,* dicit, annum quintum Nabopol-Assaris fuisse 127. à primo Rege Nabon-Assere; septimum verò annum Cambyfis fuisse 225. ab eodem Nabon-Assare: ergò inter vtrumque illum annum non habes nisi nonaginta octo intermedios; hos colliges ex vltimis 21. annis eiusdem Nabopol-Assaris, ex 45. Nabuchodonosoris Magni, ex tribus Balthasaris, ex tribus Monarchia Cyri, ex quinque Cambyfis, quibus solus regnavit, vt inquit ipse Tyrinus *Chronic. cap. 37.* deprehend-

desque, ne vnum quidem, annum superesse, qui tribui possit tot alijs Regibus Niglistari, Lab-Assardacho, & à Balthasare distincto Evilmerodacho, & nescio quibus alijs, qui fortè regnarunt in Babylonia, vel vicinis Regnis, tanquam vicarij Nabuchodonosoris, perpetuo bello foris distenti. Sed Authores aliarum sententiarum illos inter Nabuchodonosorem, & Balthasarem medios faciunt, & singuli singulis plures, paucioresve annos adscribunt, pro placito suo, vt lacunam septuaginta annorum captivitatis, & desolationis Judaicæ citius, vel ferius, prout quisque statuit, saltem in speciem compleant; & posset etiam idem simili modo ex annis Olympiadum, & conditæ Romæ, si necessum esset, comprobari hæc Tirinus.

2 Respondeo, quod attinet ad Ptolemæi authoritatem, tam hic fieri non debere, vt crimini vertendum sit, illi vt chronologo, omnimodam fidem non adhibere, vt prænotavit in re præsentis P. Gordonus in sua Chron. cap. 10. periodi 5. numer. 10. sic scribens, Ut hoc semel dicam de Ptolemæi authoritate in re Chronologia, in qua interdum discedimus non nihil, quis quæso alijs Authoribus posthabitis, probabit, Ptolemæum aliud agentem, ne quidem, vel semel declinasse ab accurata annorum ratio-

ne significanda? Nam vt in Appendice cap. 18. respondi, quoniam non satis constat de singulorum Regum (Babylonicæ scilicet) annis, & minus de annorum fracturis, facile potuit Ptolemæus vnum annum pro alio notare, dum Calippi periodos, eclipses, & similes observationes his Regum annis subnectit, & clarum est, hunc Astrologum multorum annorum intervallo abesse à laudato illo Regum Canone Mathematico, quem exhibuit Scaliger lib. 3. Canonis, num. 47. Demum quid quid sit de illo Nabonassare apud Ptolemæum, manent semper allatæ rationes, quæ arguunt horum Regum annos, & nomina non carere ambiguitate.

3 Idem Gordonus, paucis interiectis, circa eandem Æram, inquit: Nabonassari Epocha licet Scaligero (merito adijciam, & Tirino) nobilissima sit, & reliquarum Epocharum character, vt ego existimo, vix satîs defendi potest, vel etiam certam in annis Mundi expansis sedem habere, si talis omninò est, qualis hic Author (nempe Scaliger) sibi confragit, nam, vt præteream, quod iam dixi, Regem hunc esse ignotum. & cuius in sacris literis nulla sit sub hoc nomine mentio. Primum enim si ille (quod tamen negat Scaliger) est Salmanassar, solum annis 91. præcessit Nabonassarem patrem magni Nabuchodonosoris, cum tamen Ptolemæus intervallum illud

inter duos hos Reges statuerit, esse 122. sic Ptolemaeum interpretatur Scaliger; si verò Nabonassar est alius à Salmanassaro, & verum est illud 122. annorum intervalum usque ad Nabopolassarum, oporteret sic locari Nabonassarum (qui putaretur Salmanassar) ad annum 3223. quod à nemine hactenus factum est, sed neque fieri potuit, vel certè ad annum 3243. duodecim annis ante Salmanassarum, quod consonum est illi Mathematico Canonì, qui tantum 103. annos dat à Nabonassaro ad Nabopolassarum, dissentiens in hoc à Ptolemaeo, vel denique oporteret, quod subindico, cap. 18. in Appenàice num. 4. Nabopolassarum illum esse Nabuchodonosorem Magnum, utpotè ad cuius initia numerantur à Salmanassaro ferè anni illi 122. ut et sit, nisi, qui à Nabonassaro omnia sua Authore Ptolemaeo, deducunt, clarè demonstrant, quem per Nabonassarum intelligat Ptolemaeus, & dent illi in annis Orbis communibus, veram, & certè demonstratam sedem, Scripturisque Sacris congruentem, nihil unquam efficient ex hoc capite contra receptas, quas hic, & deinceps sequimur gradium, & doctissimorum sententias. Hactenus P. Gordonus.

4 Hinc verò liquidum fit, hoc argumentum depromptum ex prælibata Nabonassaris Æra parum firmum esse; cum præcipue non consistet

tet quisnam fuerit Nabonassar, caput, & principium Epochæ. Deinde respondeo, annorum epilogismum, & ex eo confectum à Tirino ratiocinium, idè deficere, quòd distinguit Nabolassarem à Nabo-Polassare, & singulis, ut distinctis constituat annos viginti unum; ceterum non fuisse distinctos, sed potius unum, eundemque Regem, ex Beroso, & Josepho fulcit P. Salianus, Anno Mundi 3400. num. 1. concinitque Gordonus in annis expansis, & in Chron. period. 5. nec non in quæst. capit. 10. num. 11. Rursus apud Berolum, & Josephum, Nabulassar annis viginti octo regnavit, aut viginti novem; alij verò dicunt, eundem regnasse annos triginta quinque, ut ipse P. Tirinus adnotat Chron. cap. 34.

5 Unde apud Tirinum, Nabulassar, qui Nabuchodofor senior etiam nuncupatur, filius fuit, & successor Nabo-Polassaris, hic verò successor, & filius Ben-Merodachi; nihilominus aliter rem se habere, ostendit optimè P. Salian. nempe Nabulassarem, seu Nabuchodonosorem seniore, patrem Nabuchodonosoris Magni, fuisse filium, & successorem Ben-Merodachi, ut videre licet apud Salianum, Anno 3407. fine, & 3377. num. 1. vbi id statuit ex Beroso lib. 3. Chaldaicorum, & Josepho, lib. 1. contra Apio.

Apionem, & lib. 10. *Antiquit. cap. 11.* nec contrarium probat P. Tirinus.

6 Secundò, & principalius elevatur obiectio, quia supponit Evilmerodachum eundem cum Balthasare, & illi tantum tres Regni annos Chronologicos assentitur: hæc verò suppositio, minimè à P. Tirino sufficienter fulcita, opponitur receptissimæ Chronologorum sententiæ, quam supra tradidimus *dissert. 10. Sec. 10.* & quod plus est, adversari videtur Sacræ Scripturæ, præsertim illi Jeremiæ vaticinio exarato *cap. 27. v. 7. Et servient ei omnes gentes, & filio eius, & filio, filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & ipsius: ubi S. Hieronymus, D. Isidorus, alij PP. & Interpretes docent, locutum Jeremiam de Magno Nabuchodonosore, & de filio eius Evilmerodacho, & de Nepote Balthasare, ut libavimus hac *dissert. Sec. 7. 11. & 12.**

7 Tertiò Nabuchodonosor Magnus non annis 45. regnavit, ut vult Tirinus, sed præcisè 44. ut diximus *dissert. 10. Sec. 10.* Quarto, Evilmerodachus non tantum tribus annis regnavit, sed 23. rursus, Balthasar 22. ut supra latè ostendimus. Quintò, quia Cambyfes non quinque, sed septem annos imperavit iuxta communem sententiam, iuxta quam præ-

præter septem annos Cambyfis, septem menses Magorum ad quinque ultimos Cambyfis menses adiungunt, integrosque octo annos à morte Cyri, cui successit Cambyfes, usque ad Regnum Darij Hystaspis constituunt Freculphus *lib. 3. cap. 19.* Pererius, Torniell. P. Ribera, Gordonus, Samerius, Mercator, & Salianus *Anno Mundi 3324. num. 2.* summa autem prædictorum annorum, videlicet Nabolassaris, aut Nabo-Polassaris 28. Nabuchodonosoris 44. Evilmerodachi 23. Balthasarij 22. Cyri 7. Cambyfis 7. est 131. annorum, quæ annorum summa colligitur, quin à nobis asseratur, admittatur vè Rex quispiam, cuius imperium ex sacris literis, non subinferamus, cum probatissimis vtrique Authoribus: perperam igitur Nabonassar æorum Æra à P. Tirino exponitur, obijciturque adversum nos, nec mirum, quia hoc ex Epocha Nabonassaris fundamentum, vel planè falsum, vel ambiguum est, ut inquit Gordonus *quest. capit. 10.*



SECTIO VIGESIMAPRIMA.

EXPEDITUR OBIECTIO SUBORTA EX Baruch cap. 1. v. 1. 2. & 11. Et ex Daniele capit. 5. v. 2. 11. 18. & 22. Denuoque exponitur Jeremias cap. 27. v. 6.

I **O**PPONES decimò, non duplicem, sed vnum, eumdemque fuisse Balthasarem, & Evilmerodachum: ruit ergo Chronologia à nobis tradita. Antecedens suadetur à P. Tirino primò, quia Baruch capit. 1. v. 2. anno quinto ab incensa Urbe Ierosolyma petit à Judæis, vt orent pro Nabuchodonosore, & filio eius Balthasare, tanquam legitimo successore. Unde v. 12. ait, *vt vivamus sub umbra Nabuchodonosor, Regis Babylonie, & sub umbra Balthasar filij eius, & v. 16.* hortatur, vt orent pro Regibus, nulla facta mentione Evilmerodach: igitur Evilmerodach idem fuit qui Balthasar, & subinde anni, qui à nobis Evilmerodacho, vt Regi distincto tribuuntur, sunt supposititij, ac consequenter non rectè explicantur à nobis septuagenariæ captivitatis exordium, & finis.

2 Secundò, quia Daniel capit. 5. ostendit, quòd Balthasar fuit filius Nabuchodonosoris; nam

nam postquam Nabuchodonosor ad se reversus est, & restitutus in Regnù ab Optimatibus, cap. 4. Scriptura quidem non dicit, quando mortuus est, sed statim sequenti cap. 5. proponit Balthasarem successorem, qui eodem cap. 5. v. 2. 11. 13. 18. 22. vbique filius Nabuchodonosoris vocatur, & ibidem recenset et Daniel, quomodo pater eius ab hominibus fuerit eiectus: omnia noverat Daniel, qui semper cum Principibus versabatur: ita P. Sammerius in *Chronol. prophana*, Anno 3417. accinitque P. Tirinus in *Chronico*, cap. 35.

3 Ita etiam Cornelius à Lapide in Daniel. capit. 5. vbi adducit tertium eiusdem placiti fundamentum, nempe quòd *Jeremias c. 50. v. 2.* Balthasar, sive Balthasar vocatur Merodach, qui idem esse videtur cum Evilmerodach, idemque à Berofo, & Josepho vocatur Labonicus, & Labonitus, vtque vult Tirinus in *Chron. Isaie cap. 46. v. 1.* dicitur Nabo.

4 Respondetur primò, Balthasarem fuisse filium Nabuchodonosoris, regni que successorem, sed non immediatum, quòd Evilmerodach frater ipsius, natu maior, ante regnaverit: ita Theodoretus *orat. 5. in Daniele*, *initio*, Severus Sulpicius *lib. 2. Hist.* & Eusebius in *Chron.*

5 Respondetur secundò, Balthasarem, de

quo Daniel, fuisse Evilmerodachi filium, Nepotem Nabuchodonosoris, à qua sententia stant frequentèr Sacri Expositores, & ex antiquis Chronologis Berosus *lib. 3. Rerum Chald.* Alphaus ex prisco Magasthene, Alexander Polythor, apud Josephum *lib. 1. & Eusebiū lib. 9. de Preparat. Evang. cap. 4.* nec non Josephus *lib. 10. Antiq. cap. 12.* Hebræi in *Seder Olami*; ab eadem sententia stant D. Hieronymus, D. Thomas, Rabanus, Liranus, Vatablus, apud P. Cornelium, *Jerem. capit. 27. v. 7. ex RR.* verò P. Christophorus à Castro *in capit. 27. Jeremia.* Adstipulantur Gordonus *cap. 12. questionum*, Salianus *Anno Mundi 3472.* Pererius *lib. 6. in Daniele* ad illa verba, *Regina autem ingressa.*

6 Idcirco dicendum, quòd alius fuit Balthasar, non quidem nepos, sed filius Nabuchodonosoris, de quo Baruch, loco citato, qui erat Primogenitus Nabuchodonosoris, & alius Balthasar filius Evilmerodach; & quidè Hugo, & Dionysius putant, Evilmerodachum fuisse binomium, & vocatum Balthasarem, & hoc nomine gavisum, cum pater viveret, at illo mortuo, vocatum Evilmerodach, cui expositioni non omnino obsistunt Pererius *lib. 6. in Daniele.* Salianus, & alij; id tamen in primis tenendum, Balthasarem, de quo Daniel, esse

esse omnino distinctum à Balthasare, cuius inveniit Baruch, vt docent Pererius vbi proximè, Christophorus à Castro *in cap. 1. Baruch*, Salianus *Anno Mundi 3451. num. 39.* Et Anno 3472. *num. 20.* & plerique apud ipsum, conficique videtur ex Sacra Pagina, *lib. 4. Regum, capit. 25. & Jeremia 52.* & ab externis etiam Scriptoribus, quos memorant Josephus, & Eusebius, traditur post Nabuchodonosorem proximè in Regno successisse Evilmerodachum, qui ex receptissima ferè omnium sententia viginti tres annos regnavit, vt suprà, *hac dissert. 10. Sec. 11. num. 4.* cum P. Ribera *in cap. 1. Zachar. num. 27.* & alijs.

7 Præterea tenendum, Balthasare fuisse vltimum Regem Chaldæorum ex *cap. 5. Danielis. Et ex cap. 27. Jeremia,* post Nabuchodonosorem verò regnasse filium eius, & filium filij: igitur Balthasar, qui apud Daniele vltimus Rex fuit Chaldæorum, & devictus à Cyro, alius fuit ab eo, quem posuit Baruch, & quem significat filium fuisse Nabuchodonosoris, proximumque in Imperio successorem: vnde Balthasar apud Baruch natus iam erat anno quintò desolationis; ille autem Balthasar Danielis nequaquam; siquidem cum interfectus fuit ab exercitu Cyri iuvenis erat, vt ex Xenophonte constat, *lib. 5. Cyripedia:* idem probat à Cas-

tro in *cap. 1. Baruch, num. 10.* Quòd si natus iam erat anno desolationis, iuvenis esse non posset, quando devictus à Cyro, quia ageret iam sexaginta quinque, aut plures annos.

8 Et ex sacro Danielis textu colligitur, eadem juvenis ætas Balthasar, quoniam *capit. 5.* asseritur captus Balthasar dum ebriatus, luxibus, comestationibus, & pellicibus indulgeret, quæ juvenilem ætatem aperte indicant. Tum quia Regina ingressa domum convivij, in qua lugubre illud apparuit spectrum, & quæ Regem allocuta fuit, iuxta Josephum, erat Balthasaris avia, & proinde nequibat Nepos non esse adhuc juvenis. Cæterum Regina mater fuit Balthasar, ut censuerunt Origenes, & Theodoretus *super Dan.* nec non Pererius, Gaspar Sanchez, Maldonatus, & Salius, *Anno Mundi 3516. num. 3.* vxores enim Nabuchodonosoris iam antea in ipso convivio erant, ut ex ipso *cap. 5.* constat, proptereaque hic Balthasar senex esse non poterat, nec ille est, de quo Baruch.

9 At si idem esset Balthasar apud Danielem, & Baruch, utique senex esset, & sexagenario maior: igitur diversus fuit: constat asumptum, quia Balthasar in Baruch natus erat anno quinto desolationis, idest anno Nabu-

chodonosoris vigesimo quarto, à quò usque ad finem Regni ipsius sunt anni viginti, tum Evilmerodach viginti tres, & Balthasar decem septem, concessu omnium, teste Pererio, & ut nos supra ostendimus ad viginti duos annos pervenit Regnum ipsius, quæ omnia fulcita manent *hac dissert. Sect. 11.* His autem annis acceptis, fiunt sexaginta sex vitæ Balthasar, quamvis vel vnum *tantum* annum egisset Balthasar, de quo Baruch; at talis ætas, utique senilis, nec patiebatur grandævum hominem matrem habere, iuxta ea, quæ frequenter accidunt, nec luxibus, ebrietati, & pellicibus indulgere permittit: ergo Balthasar, cuius convivium, & internationem Daniel refert, alius fuit à Balthasare, cuius meminit Baruch.

10 Quare vel Balthasar filius Nabuchodonosoris idem fuit, qui alio nomine vocabatur Evilmerodach, ut fuerit ille binomius, & regnante patre Nabuchodonosore, dictus sit Balthasar, postea autem, suscepto Imperio, nuncupatus sit Evilmerodach, ut supra diximus; vel ille fuit primus filiorum Nabuchodonosoris, ad quem, si vixisset, post mortem patris devenisset Imperium; sed quia mortuus est, vivente patre, ideo, mortuo Nabuchodonosore, proximè successit in Regno Evilmerodach, licet fuisset secundus inter filios Nabuchodo-

nosoris; cæterum quia primus erat filiorum Nabuchodonosoris Balthasar, propterea Baruch vivente patre, postulabat, fieri orationem pro Balthasare. Favent huic sententiæ Pererius *lib. 6. in Daniele, à Castro, in Baruch, & Salianus, Anno Mundi 3451. num. 39. etiam Josephus lib. 10. Antiq. cap. 12. Et D. Hieronymus in Daniele, qui Nabuchodonosorem proavum existimant Balthasaris.*

11 Nec obest, quod in *libro Danielis* Nabuchodonosor dicitur pater Balthasaris: id enim accipiendum est iuxta expositionem D. Hieronymi, *in Daniele, ubi hæc habet, Quod autem Nabuchodonosor, qui proavus fuit Balthasaris, hoc loco vocetur eius pater, non facit errorem scientibus Sanctæ Scripturæ consuetudinem, qua omnes proavi, omnesque maiores appellantur patres: sic Hieronymus; eademque fuit sententia V. Bedæ, lib. de Sex ætatibus Mundi.*

12 Nec magis officit, quod *Jeremiæ c. 50. v. 2.* Balthasar dicatur Merodach; sicut enim à primo Pharaone cæteri Ægypti Reges dicti sunt Pharaones, à Cæsare Cæsares, à Seleuco Reges Asiæ dicti sunt Seleucidæ, ita à primo Merodach, eius posterii, Babylonis Reges dicti sunt Merodach. Ita P. Cornelius *in Jerem. cap. 50. v. 2.* Et alij apud Christophorum à Castro *in cap. 50. in Jerem.* Alij verò dicunt, Bel,

Bel, & Merodach apud Jeremiam, duo esse idola Babyloniorum præcipua, sic Rabbi Salomon, Rabanus, Dionysius, Vatablus, Isidorus, Lira, à Castro *in Jerem. cap. 50.*

13 Consimiliter venit exponendum, quod *Isaiæ capit. 46.* dicitur *confractus est Bel, contritus est Nabo*, quippè Nabo fuit secundus Babyloniorum Deus, iuxta interpretationem D. Hieronymi; innuit enim ibi Propheta, ut notat Cornelius, Christum Dominum Nabo, id est oraculis idolorum, silentium impositurum; vastitas enim Deorum Babyloniorum facta à Cyro fuit typus vastitatis idolorum in toto Mundo faciendæ à Christo Domino. Quod autem Septuaginta Interpretes, iuxta editionem Complutensem, item Cyrillus, & Procopius pro *Nabo* legunt *Dagon*, quamvis admittendum non sit, quia, & lectio Hebræa, & Latina, & Græca Septuaginta Interpretum Romana habent *Nabo*, hic quippè fuit Deus Chaldæorum; *Dagon* verò Philistinorum; nihilominus ex ea lectione ostenditur, sub illa voce *Dagon* non Evilmerodachum, nec tam personam Regis alicuius, quam Babyloniorum præcipuum idolum significari.



SECTIO VIGESIMASECUNDA.

*NABONASSARIS ÆRA RETENTA,
effringitur prælibata obiectio, & sententia
nostra elucidatur.*

NE religionem alicui iniiciat, quòd Nabonassaris Æram negligere videamur, illam ex probatissimis Scriptoribus nostræ sententiæ, & Chronologiæ congruentem in hunc modum contexere licet: igitur Æra Nabonassaræorum, quos Ptolemæus in suo *Almagesto, lib. 8. cap. 3.* celebravit, eodem Ptolemæo Authore, cœpit Olympiadis 8. anno 1. numerat enim à primo anno Nabonassaris ad mortem Alexandri Magni annos quadringentos viginti quatuor; tot siquidem annos conficiunt centum, & sex Olympiades evolutæ à primo Nabonassare usque ad Alexandri Magni obitum: confignant hanc temporis rationem P. Sallianus *Olympiade 8. anno primo.* Et Samerius in *Chronologia eiusdem Olympiadis 8. anno 1.* & alij: ostenditurque; quoniam Alexander mortuus fuit, ex communissima omnium sententia, anno primo Olympiadis 114. à quo an-

NO

no ad superiora regrediendo, primus annus Nabonassaris in primum octavæ Olympiadis necessariò incidit; nam 113. Olympiades integræ transactæ exhibent annos 452. de quibusque annis viginti octo, elapsis initio Olympiadis octavæ, remanent anni 424. quos enumerat Ptolemæus.

2. Porro hic Nabonassar est ipse, qui vocatur Baladan apud *Isaiam capit. 39. v. 1.* vt edocent Torniiellus, *Anno Mundi 3306.* P. Sallianus, *Anno 3324. num. 25.* Cornelius à Lapide in *dictum Isaiæ locum, & in capit. 1. Ezechielis*, Scaliger *lib. 5. de Emendatione temporum*, ita vt Baladan esset nomen, quod privatus habuit; nomen autem regium fuerit Nabonassar, qui tamen fuit Assyriorum vectigalis, vt P. Sallianus adnotat: ab initio igitur Nabonassaris vsque ad annum quintum Nabopolassaris, seu Nabolassaris, lapsi fuerunt anni 107. Quamobrem Scaliger, cui P. Tirinus adfentitur, dum annum quintum Nabolassaris ait esse 127. à Nabonassare, initium huius Nabonassaris totis viginti annis antiquius facit, quàm par est, vt optimè colligere licet ex traditis à P. Salliano, *Anno Mundi 3411. num. 4. 5.* & in *Scholio ad eundem annum, num. 4.* tum ex fusè traditis ab eodem Salliano *ab anno 3406. fine, usque ad annum quintum Nabolassaris*: nec aliter

ea

ea temporis ratio, quæ Scaligero placuit, & P. Tirino, stare potest, nisi Nabolassar apud Ptolemæum sit idem, ac Nabuchodonosor, quod indicat P. Gordonus in *Chron. capit. 10. sub Nabonassare. Et cap. 18. in Appendice num. 4.* probaturque à P. Saliانو, *Anno Mundi 3400. num. 1. & an. 3411. in Schol. ad num. 4. ex Beroso, & Josepho, licet Gordonus intelligendum existimet Nabuchodonosorem Magnum, at Salianus senioreni fuisse, dicit.*

3 Id verò, si supponatur optimè, enumerari poterunt anni 127. quos querit P. Tirinus in hac Æra vsque ad quintum Nabolassar, hac scilicet ratione: primus Nabonassar regnavit annos decem octo, filius eius Merodach Baladan annos quinquaginta duos; huiusque filius Benmerodach annos triginta duos, & huius filius Nabolassar annos viginti; Nabuchodonosor autem quinque, hi enim anni, cõficiunt 127. Nec huic chronologiæ obstat, quod Nabonassar, seu Baladan in Sacra Pagina non nuncupetur Rex, sed tantum eius filius Merodach, vt cernere est *lib. 4. Reg. cap. 20. v. 12. Et Isaia cap. 39. v. 1.* id enim fieri potuit, quia vt supra libavimus, notatque P. Salianus, *Anno Mundi 3324. num. 25.* faventque apud ipsum Scaliger, & Torniellus, Nabonassar, seu Baladan fuit Assyriorum vestigialis vsque ad mortem

tem Senacherib, at filius eius Merodach, ple-no, & novo iure Rex Babylonis fuit, mortuo scilicet Senacherib.

4 Nec iterum officit, Baladan, seu Nabonassarem adhuc vixisse annos octo post plenum ius Regni Babylone adeptum; Ptolemæus enim ei tribuit annos Regni viginti sex, quia optimè stare potuit, vt eo tempore filium Merodach Regni collegam assumeret, à qua sententia non abest P. Serarius in *4. Regum*, vbi de Regibus Babyloniorum, ad stipulatur P. Salianus, *Anno Mundi 3324. num. 25.* quia tamen Scriptura ex hoc tempore solius filij meminit, à quo legatio missa fuerit ad Ezechiam Regem Judæ, eundem Merodach Regem Babylonis vbiq; appellat, idcirco hoc eius Regni initium cum Genebrardo, & Saliانو ponimus, videlicet Ezechia anno 16. *& Olympiadis 12. an. 3.*

5 Consimiliter evenisse videtur in Evilmerodach, & Nabolassare, quia apud Josephum huic tribuuntur anni viginti novem; ceterum *lib. 10. Antiq. capit. 11.* ex Beroso *lib. 3. Chaldaicor.* eidem Nabolassari anni viginti vnus assignantur, vter autem eorum locorum sit mendosus non apparet, ideò vtrumque conciliat Torniellus, vt octo annis cum patre, vigin-

ti vno, solus regnaverit, idque haud displicuit P. Saliano, Anno 3376. num. 1.

6 Fit ergo ab anno primo Nabonassaris, vsque ad quintum Nabuchodonosoris Magni, fluxisse annos 127. vt ex Scaligero desiderat P. Tirinus. Notandum tamen, quòd si annus quintus Nabuchodonosoris à vero annorum numero excludatur, tunc quàm optimè poterimus tribuere Nabonassaro annos viginti vnū, qui frequentèr ei assignantur; licet annum viginti vnum non compleverit imperando, sed solum attigerit. Hinc stat etiam numerus annorum 225. ab eodem Nabonassare vsque ad septimum Cambylis, si videlicet Nabonassar, apud Ptolemæum sit Nabuchodonosor Magnus, vt suprâ diximus cum P. Gordonio *differt. 10. Sect. 20. num. 3.* nam præter annos 127. iam expositos, veniunt addendi Nabuchodonosoris 40. Evilmerodach 23. Balthasar 21. Cyri 7. Cambylis 7. menses 5. quoniam 8. anno, 5. mense Imperij, Cambyfes à Magis extinctus fuit, vt ex Pererio, Torriello, Ribera, Gordonio, & Saliano suprâ diximus, Quamobrem à quinto anno Nabuchodonosoris incluso, vsque ad inceptum octavum Cambylis reperiuntur anni 98. intermedij, quos P. Tirinus in hac periodo computat, inficiaturque,

in nostra hypotesi, septuaginta captivitates annos posse reperiri; sed fallitur, quia seculis quinque annis Imperij Nabuchodonosoris remanent eiusdē Nabuchodonosoris anni 39. Evilmerodach 23. Balthasar 22. Cyri 7. Cambylis 7. menses 5. qui efficiunt annos 98. menses 5. qui anni intermedij sunt inter 5. Nabuchodonosoris, & vltimum Cambylis inceptum.

SECTIO VIGESIMATERTIA.

*EADEM NABONASSARIS ÆRE EXPOSITIO
fuit ex traditis à
Torriello.*

1 **Q**UONIAM Augustinus Torriellus in re Chronologica apprime doctus merito censetur, eandem Nabonassaris Ære, & Ptolemæi expositionem supra traditam ex eruditi huiusce Scriptoris sententia consulcire, operæ pretium erit, igitur Torriellus in 5. *Mundi ætate, Anno 407. num. 2.* inquit, tria esse supponenda, primum est, quòd Nabuchodonosor de quo Daniel *capit. 5.* est ille Rex, quem Ptolemæus *lib. 5. Almagesti, capit. 14.* vocat Nabopollassar; cuius annus Regni 5. fuit ex parte 127. ab initio Regni Nabonassaris: ex quo loco necessario inferitur, quòd primus dicti Nab-

nabopolassar Regni annus fuit 123. ab eodem Nabonassare, hæc enim aptè conveniunt ipsi Nabuchodonosori, ut perspicui potest in nostris tabulis. Sed quia hoc omnimò exploratum habere, multum refert, ad rectam temporum rationem ineundam, confutanda necessariò hic est opinio Scaligeri, qui *lib. 5. de Emendatione temporum*, ubi disserit de initio Nabopolassar Regis Chaldæorum, dicit, ipsum esse illum, qui à Beroso apud Josephum *lib. 1. contra Apionem* vocatur Nabolassar, quique fuit pater ipsius Nabuchodonosori; sed necesse est, Scaligerum in hac parte hallucinari, quia Berosus *ibidem* dicit, ipsum Nabolassar regnasse annos vndetriginta, quamvis idem Author relatus, *10. Antiq. capit. 11.* dicat, vnum supra viginti, quemadmodum nos sub *Anno Mundi 3408. num. 3.* adnotavimus, ubi etiam vtrumque locum conciliavimus.

2 Itaque supponamus (pergit Torniellus) quod *ibidem* diximus, & Scaligeri sententiæ minus reluctari posse videtur, præfatum Nabolassar 21. annos tantùm regnasse. Profecto, si primus Regni huius Nabolassar annus, fuisset 123. à Nabonassaro, sequeretur, penitus destructam iri totam Ptolemæi Epocham, ab ipso Nabonassaro deductam, & consequentè omnem doctrinam astronomicam, quam ex Cælorum mo-

tibus per annos prædictæ epochæ observati idem Author confirmat, traditque; quandoquidem ipse Ptolemæus, quemadmodum sub *Anno Mundi 3306. num. 2.* probavimus (inquit Torniellus) asserit, septimum Cambyfis annum fuisse 225. Æræ Nabonassar, & annum vigesimum illius Darij, qui Cambyfi successit, fuisse 246. eiusdem Æræ, & trigessimū primū dicti Darij fuisse 257. ab eodem Nabonassare, & quod annus decimus tertius Philadelphi erat 476. Nabonassar.

3 Hæc, inquam, omnia, Scaligeri opinione posita, vera non erunt; nam, si Nabolassar, Nabuchodonosori pater, regnare cœpisset anno Æræ Nabonassar 123. utique oporteret, initium Regni Nabuchodonosori, eius filij, incidisse anno eiusdem Æræ 143. dictum est enim, patrem eius regnasse annos viginti vnum & consequentè, quod anno ipsius Nabonassar 161. dictus Nabuchodonosor, inchoante anno Regni sui decimo nono, *Reg. lib. 4. cap. 25. §. 8.* adduxisset Judæos in Babylonem, & quòd ipsa Judæorum captivitas post septuaginta annos, id est, anno 231. Æræ Nabonassar soluta fuisset: quomodo ergo posset annus 225. dicti Nabonassar concurrere cum anno septimo Cambytis, quem,

certum est, multis post dictæ captivitatis solutionem annis regnare cœpisse?

4 Quod si ex Scaligeri positione tam grâdis oritur in primo annorum concursu dissonantia, eandem certè in cæteris subsequi, necessarium erit, & sic totam, vt diximus, Æram Ptolemæi à Nabonassaro deductam perturbâri, & omnino confundi: igitur nullo pacto fieri potest, vt ille Nabopolassar, quem Ptolemæus testatur, regnare cœpisse anno Æræ Nabonassaris 123. fuerit Nabolassar pater Nabuchodonosoris, sed magis necesse est, quòd fuerit ipsemet Nabuchodonosor; sic enim omnia consona, & Ptolemæi dictis consentientia reddentur. Hactenus Torniellus.

5 Ex cuius ratiocinio refelluntur ex æquo Scaliger, & P. Tirinus, imò & Tirinus potiori iure revincitur; quia si Æra Nabonassaris, apud Ptolemæum tradita, perturbatur, posito, quòd Nabo-Pol-Assar sit pater Nabuchodonosoris, vt Scaliger ait, multo magis invertitur dicta Periodus, posito, quòd Nabo-Pol-Assar sit avus ipsius Nabuchodonosoris Magni, vt vult Tirinus *Chron. cap. 34.* vbi illi tribuit Regni annos viginti quatuor, imo alios deinde quatuor regnanti cum filio. Quandoquidem excluso etiam hoc Rege Nabo-Pol-Assare evincitur

tur optime à Torniello, solutam fuisse Judæorum captivitatem anno 231. Æræ Nabonassaris, si Nabolassar, Magni Nabuchodonosoris pater regnare cœpit, anno 123. Æræ Nabonassaris, igitur additis annis viginti quatuor Nabo-Pol-Assaris, fiet utique, solutam Judæorum captivitatem anno Æræ Nabonassaris 255. & consequenter nullatenus posse concurrere annum 225 à primo Nabonassare cum septimo Cambysis, qui post Cyrum regnavit.

6 Sed quispiã dicit: absurdum, quod adversus sententiam, quam impræsentiarum oppugnamus, ex Ptolemæi doctrina intorquemus, subduci equidem ex eo, quòd ab anno 161. Æræ Nabonassaris, & decimo octavo Magni Nabuchodonosoris enumeremus annos septuaginta Judæorum in Babylone captivitatis, id quòd P. Tirinus inficiatur: igitur labascit nostrum ratiocinium. Respondetur, computationem nostram non pro libito esse adductam, argumentis quippè magni momenti, & ex Sacra Pagina diductis illa nititur. Præterea evincimus chronologiam, quam tradimus, Ptolemæi doctrinæ & Nabonassaris Æræ non adversari.



SECTIO VIGESIMAQUARTA.

*POST CONSEGTARIA, QUÆ ADVER-
sam efringunt sententiam, nostramque stabi-
liunt, ostenditur, quod primus Nabonassar
alius fuit à Salmanassare.*

I PRIMUM consecrarium: iuxta Pto-
lemæum *lib. 5. Almagesti, capit. 14.*
cui P. Tirinus, *Chron. cap. 35.* adsentitur, an-
nus 225. à primo Nabonassare fuit annus sep-
timus Cambyfis; sed Tirinus, *eodem cap.* Cam-
byfi tantum consignat quinque Imperij an-
nos: igitur ducta à Tirino Chronologia, vt
nostram rejiciat sententiam, Ptolemæi assertis
contrariatur.

2 Quod si dixeris, eundem Tirinum,
*Chron. cap. 35. conclus. 4. §. Respondeo. Et ca-
pit. 37. §. Cambyfes,* tribuere Cambyfi sex Im-
perij annos post mortem Cyri, nam ex octo
annis, qui illi tribui solent, duobus cum pa-
tre suo Cyro, adversus Scythas, tum movente,
regnavit: & proinde optimè congruere, quòd
annus 225. à primo Nabonassare concurrat
cum anno septimo Cambyfis, & quod Cam-
byfi ad hanc temporis rationem quinque
tantum anni consignentur.

Præ:

3 Præcluditur aditus huic solutioni; quo-
niam P. Tirinus *Chron. capit. 35. §. Probatur
quinto,* vt veram Nabonassaris Æram, & Pto-
lemæi Epocham stabiliat, computat Monar-
chiæ Cyri tres annos, & Cambyfis quinque;
igitur vt duo ex his annis, nempe duo ultimi
Cyri bis non numerentur, sed sint anni Chro-
nologici, debent quinque Cambyfis esse pe-
nitus distincti ab annis duobus, quibus cum
suo parente Cyro Cambyfes regnavit; aliàs
enim ratio temporis diducta à Ptolemæo sub-
sistere non poterit. Confirmatur; quoniam Ti-
rinus *Chr. cap. 35. post 4. concl. Et ca. 36. ait,* quòd
Cyrus à capta Babylone non fuit Monarcha ni-
si annis tribus; adeoque non computat annos
viginti septem, quibus iam antea Persarū Rex
fuit; quia in Nabonassaris Æra, non est ratio
habenda nisi de Babylonis Regibus: cum igitur
Ptolemæi scopus, sicut & Tirini, sit à pri-
mo Nabonassare Babylonis Regum Æram te-
xere, incongruè confundentur anni Cambyfis
cum Cyri parentis sui duobus annis; quapro-
pter esto Cambyfis computentur anni sex, qui-
bus solus regnavit, adhuc deficit vnus annus,
vt Ptolemæi assertum verum habeat, videlicet,
annum 225. à primo Nabonassare concurrere
cum septimo Cambyfis; perperamque id Pto-
lemæus dixisset, cum potius asserere debuisset,

Aa 3

præ:

prædictum 225. Æra Nabonassaris annum fuisse quintum Cambyfis.

4 Secundum: P. Tirini sententia, quatenus inquit, duos annos Cambysem cum patre suo imperasse, Hero loco repugnare videtur, *lib. 1. sine*, quem patrum omnes sequuntur, ille enim refert, Cyram sub ipsum tempus prælii, quo & extinctus est, Regnum Cambyfi tradidisse. Sic enim ait: *Cyrus in Cambyfis filii sui*, cum Regnum tradebat, manus præbuit Croetum, ac maiorem in modum, ut hominem honore, beneficiisque prosequeretur, præcepit, si sua adversus Massagetæ traiectione non rectè cederet. Hæc ubi præcepit, eo usque remisit in Persidem ipse cum copijs suis flumen *traiecit*. Sic Herodotus. Non ergo Cambyfes Regnum absente patre administrabat, ut qui cum eo tum Regno aberat, cum Regnum eodem ipso tempore a patre in omnem eventum acciperet: unde nec stare potest quod inquit P. Ribera *in capit. 1. Zachar. numer. 33.* nempe, Cambysem sex annis cum patre regnasse. Ut eruditè adnotat P. Salius, *Anno Mundi 3524. num. 3.*

5 Tertiū: idem Ptolemæus *lib. 5. Almagesti, cap. 14.* ait, Annum vigesimum Darij Hytaspidis, qui Cambyfi, & Magis successit, fuisse annum 246. à primo Nabonassa-

re; id quod iuxta temporis rationem à nobis diductam, luculentè ostenditur, videlicet si annis 225. in septimo Cambyfis completis, addas annum vnum constitutum ex mensibus quinque, quos ultra septem annos Cambyfes imperavit, & septem alijs mensibus, quibus Magi, præsertim Smerdes imperium sibi asciverunt, ut edocent P. Salius, *Anno Mundi 3531.* Et Torriellus, *sexta Etatis anno 74. num. 3.* inquit, hanc esse communioem, sanioemque opinionem: deinde computatis annis viginti Darij Hytaspis, sicut inquam anni 246. quos ex Ptolemæo supra consignavimus: Imò integra Nabonassaris Æra iuxta Ptolemæi epochen optimè diducta, & putata, secundum Chronologiam à nobis traditam, elucidatur ab Augustino Torriello, ut cernere est in ipsius Tabulis.

6 Ut verò huiuscè Nabonassaris Æra initium amplius innotescat, animadvertendum, quod Genebrardus, Ioannes Funccius, Mercator, Buntinghus, & alij Nabonazarum, uti Censorinus eum vocat, vel, ut Ptolemæus, Nabonassarum, eundem esse cum Salmanassare, crediderunt. Alij diversum quidem, sed eodem tamen extitisse tempore, putant; uti Temporarius, qui Nabonassarum Satrapam Babylonie censet, à Salmanassare constitutum.

7 Sed utrâque hanc opinionem reffellunt, ex Beroso, Josepho, & Eusebio, Cardin. Bellarminus, Serarius, Torniiellus, Saliarius, Scaliger, Cornelius, & alij præsertim P. Petavius *tom. 2. de Doctr. temp. lib. 9. capit. 52.* Saliarius, *Anno Mundi 3310. num. 2. & 3.* id ipsumque prælibatum a me *hæc dissert. 10. Sectione 22. n. 2. 3. & 4.* & ex temporis, & principatum ratione ostenditur, quoniam Nabonassar regnavit Babylone; Salmanassar Assyriorum Imperator in Ninive. Ille Regnum auspiciatus est initio octavæ Olympiadis, ut supra ex Ptolemao, & alijs docuimus; esto P. Petavius illum referat ad annum quartum labentem Olympiadis septimæ; nihilominus idem Petavius *lib. 3. in annis expansis, anno period. fulianæ 3967.* ad annum secundum Olympiadis octavæ eundem rejicit Salmanassar autem initio Olympiadis nonæ regnare cœpit. Nabonassar filium, & successorem habuit Merodach Baladan, qui nuncupatus est etiam Berodach, sive Marodach *lib. 4. Reg. cap. 20. v. 20.* idemque cum Mardocempado, qui apud Ptolemaum filius fuit Nabonassaris, censetur, cum plerisque à P. Saliario, *Anno Mundi 3324. num. 25.* Salmanassar verò filium, & successorem habuit Sennacherib. *Tobie cap. 1. v. 18.*

8 Hinc porro occasione, immensæ cladis, quæ

quæ res Assyriorum prostraverat, quando nempe, venit Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, cumque diliculo surrexisset, viam omnia corpora mortuorum: & recedens abiit, & reversus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive. Cumque adoraret in Templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarazar filij eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armentorum, & regnavit Asarhaddon filius eius pro eo, ut habetur *lib. 4. Reg. cap. 19. v. 35. usque ad capitis finem.* Hac inquam occasione, additaque fugæ maiorum natu filiorum, hæredis infirma ætate, & inde dole molli, ut putatur, & effocminata, Merodach Baladan, filius Baladan, seu Nabonassaris, qui sicut & pater eius, hæctenus fuerat pro Rege Assyriorum Babylone Prorex, aut Rex certè vestigalis, Regem planè agere cœpit, liberumque sibi Regnum stabilire; quæ causa fuit, cur ad Ezechiam visitandum, qui & ipse tributarium nuper iugum excusserat, legatos cum muneribus miserit, ut legitur *lib. 4. Reg. capit. 20. v. 12.* Et sanè Jeremias *cap. 50. initio.* Merodach pro Regno Babylonico, cuius ille novus fuerit conditor, ponit. Hæc autem omnia manifestè evincunt, quod Nabonassar non

378 *Sacra Chronologica differt. decima.*
potuit esse idem qui Salmanaſar. Videſis *Sec.*
ſi. 22. num. 2. 3. & 4.

SECTIO VIGESIMAQUINTA.

OLYMPIADUM, ET URBIS CONDITÆ,
*initium oſtenditur, ut inde ſententia noſtra
lucem novam accipiat.*

I QUONIAM *Sacra* *Historia* ex Græca, Latinaque illustratur, & hæc utraque in multis ab Hebræa corrigitur; neque id sine temporum concordia, & Olympiadum, & Urbis conditæ initij notitia, fieri valeat; ideo in illa tradenda multi antiqui, recentioresque, longè eruditi elaborarunt, ex quibus nos potiora, & magis recepta excerptere conabimur, & ex inde quæ de initio, ac sine septuagenariæ Judæorum captivitatis tradidimus, ſtabilimen accipient, confpicuumque fiet, haud congruè P. Tirinum ex Olympiadum, & Romæ conditæ annis noſtram labefactari ſententiam, exiſtimare.

2 Quantum igitur opis, ac lucis hæc Olympiadum annotatio attulerit Chronologiæ, explicuit Africanus apud Eusebium *lib. 10. de Prepar. cap. 3.* hiſcè verbis: *Uſque ad Olym-*
pi-

Olympiadum, & Urbis, &c. *Sec. 25.* 379
*piadas, nihil exploratum in Historia Græcorum
invenitur, ſed omnia confuſis ſunt conſcripta
temporibus. Poſt Olympiadas verò, quoniam
quadriennio diligentiffimè omnia renovabantur,
nulla penitus eſt temporum confuſio. Eusebius
autem ipſe in Chronico, ſub primam Olympia-*
*dem, inquit; Ab hoc tempore Græca de temporibus
historia vera creditur. Nam ante hæc, ut cui-*
que viſum eſt, diverſas ſententias protulerunt.
Conſimilitèr obſervant Diodorus Siculus, ini-
tio Bibliotheca. Plutarchus in Theſeo, & Numa.
Ptolemæus lib. 3. Almageſti.

3 Adſentiuntur Romani, quoniam Cenſorinus in *lib. de die natali cap. 21.* Varro, inquit, tria discrimina temporum eſſe tradit; primum ab hominum principio uſque ad cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur adelon: Secundum à cataclyſmo priore ad Olympiadem primam; quod quia in eo multa fabuloſa referuntur mythicon nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur historicum; quia res in eo geſtæ veris historijs continentur. Sic ille, qui de prophanis utique loquitur historijs; quoniam in *Sacra Scriptura* plurima, quæ ad illa primæva attinent tempora, legimus, & fide colimus; ad quæ tamen dilucidius aperienda prophanæ conferunt, deſerviuntque *historiæ, & Chronologiæ.*

Olym-

4 Olympias autem erat quatuor annorum spatium, quod fluxerat duos inter ludos Olympicos, qui maxima totius Græciæ solemnitate, & concursu celebrabantur, in Elide, apud Olympiam civitatem, quæ eadem cum Pisa dicitur, à qua non procul erat phanum quoddam celeberrimum Jovi dicatum, quod à proximæ vrbs nomine Jovis Olympij nuncupabatur, in cuius conspectu instituti antiquitus fuerunt ab Hercule ludi quidam gymnici, & diversi generis certamina, quæ quòd in honorem Jovis Olympij, maximo totius Græciæ concursu, quarto quoque anno exacto, seu quinto iam incepto, frequentarentur, Olympia nuncupari cœperunt, & ex inde invaluit consuetudo per easdem Olympiades tempora metiendi, & in ipsis maximè iudicium, & sententia de victoribus ferebatur.

5 De quibus Onuphrius, & Solinus *Polyistor cap. 2.* hæc habent: *Certamen Olympicum*, quod Hercules in honorem atavi sui materni Pelopis ediderat, intermissum, Jphitus filius eius instauravit, post excidium Troiæ anno 408. Ergo ab Jphito numeratur Olympias prima. Ita sex medijs Olympiadibus interiectis, quibus singulis anni quaterni impu-

tan-

tantur, cum septima cœptante Roma condita sit, inter exortum Urbis, & Troiam captam iure esse quadringentos annos, & triginta tres constat. Cæterum hic legendum esse quadringentos triginta duos, annotat P. Salianus, *Anno Mundi 3278. num. 6.* quoniam si octavus annus est primus Olympiadis primæ, ut ipse Solinus affirmat, trigessimus secundus erit primus Olympiadis septimæ: hanc sententiam, subiungit Salianus *n. 8.* optimi quique è Recentioribus Scriptoribus secuti sunt: de quo tamen pauca dabimus infra, dum de anno Urbis conditæ agemus.

6 Dicitur autem, Herculem in honorem Pelopis hæc certamina edidisse, quoniam primus horum certaminum institutor Pelops fuit, instaurator Hercules: tertio ab Jphito restituta, & perpetua lege constituta, ut animadvertit P. Petavius *tom. 1. de Doctrina temp. lib. 9. cap. 37.*

7 Narrat autem Aristodemus Eliensis, ut scribit Eusebius *in Chron. lib. 1.* Victores Olympicos describi cœptos fuisse à vigesima septima Olympiade; priores autem id neglexisse. Vigesima verò octava Olympiade cum in stadio victor evasisset Corœbus Eliensis, primum inscriptum fuisse. Eaque Olympias prima constituta est, ab eaque Græci tempo-

ra numerant. Eadem cum Aristodemo refert Polybius. Hæc Eusebius, qui etiam addit, Callimachum tradere, tredecim tantum Olympiades ab Jphito præterijisse, antequam victores scriberentur: decimam verò quartam fuisse, eam, quæ prima dicitur, & Corœbum victorem celebrat. Priori tamen sententiæ Aristodemi, & Polybij adhæret P. Salianus, *Anno Mundi 3170. num. 5.*

8 Quidquid verò sit de prioribus Olympicis Ludis, id compertum est, omnes Historicos, & Chronologos temporum spatia, & annos metiri, & computare ab anno in quo primum huiuscemodi agones, ab Jphito Elæorum Rege restituti sunt, ita ut deinceps in multa secula propagati fuerint, & quasi certissima temporum nota à Græcis, alijsque eorum exemplo usurpati. In hoc initio Olympiadum, in agonæ gymnico Chorœbus Eliensis victor extitit, ut ait Eusebius in Chron.

9 Et quidem licet Pausanias in *Elisiis*, pag. 200. & 201. ac Diodorus referant, ex Olympiadum catalogo tres expunctas ab Eliensibus fuisse, quas & Anolympiadas vocarunt, nimirum octavam, & trigessimam quartam, ac centesimam quartam; quod priores duæ à Pisæis, tertia ab Arcadibus per vim usurpata, administrataque essent, & propre-

rea quidam eruditus Recentior censet, duodecim annis tardius, quàm par est, communiter Olympiadum epocham putari; nihilominus eam singularem opinionem optimè refutat P. Petavius, *tom. 2. de Doctr. temp. lib. 9. capit. 44.* ostendens, quòd tametsi ab Eliensibus tres illæ sublatae sint Olympiades, atramen apud Historicos, & Scriptores, qui quidem extant, nullum mutilationis illius extare vestigium, quin potius unversos, qui earum mentionem fecerint, communem Olympiadum ordinem, ac numerum expressisse.

10 Circa Romæ natalem duæ identidem referuntur sententiæ, quarum una conditam Urbem statuit anno Olympiadis sextæ quarto, seu Jphiti anno vigesimo quarto; altera eiusdem Olympiadis anno tertio, id est Jphiti anno vigesimo tertio: Prima tribuitur M. Catoni, qui & ipse Fastos concinnavit, & huic etiam suffragari dicuntur Clemens Alexandrinus *lib. 1. Strom.* Onuphrius Panvinus in *fastis suis*, & alij. Secunda adscribitur M. Terentio Varroni, qui Fastos Romanorum conscripsit, cui adstipulari censentur Quintilianus *lib. 10. cap. 2.* Lactantius *lib. 1. Institut. cap. 6.* Cicero *lib. 5. Academ. quæst.* Eusebius, Plutarchus, & ex antiquis, & Recentioribus quam plures, quibus adsentitur P. Tirinus, *Chronici cap. 32.*

& ut longè celebriori sententiæ, ipsi adhæret P. Petavius tom. 2. de *Doctrina tempor. lib. 9. cap. 49. lit. G.*

11 Tertia sententia Romanæ Urbis natalem ait, adscribendum anno primo septimæ Olympiadis, Authores autem illius per plures refert Onuphrius Panvinius, *lib. 1. Fast. cap. de An. Urb. præcipuè, id docuit Solinus Polyb. c. 2.* cum ait: *Ita sex medijs Olympiadibus interiectis, quibus singulis anni quaterni imputantur, cum septima cœptante Roma condita est.* Sic ille, qui Fastos Capitolinos studiosè representat. Idem docuit Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatū, pag. 248. Gr. Lat.* qui ait, à prima Olympiade ad Romam conditam colligi annos viginti quatuor, & ijs finitis, & inchoante vigesimo quinto iacta Urbis fundamenta. Eusebius quoque, qui annum primum septimæ Olympiadis primum Regni Romuli numerat.

12 Verumèni verò circa primam sententiam, quæ Catoni tribuitur, quasi ipse docuerit conditam Urbem anno quarto Olympiadis sextæ, & vigesimo quarto Iphiti, notandum, quòd P. Petavius, *dic. lib. 9. cap. 46.* validis argumentis ostendit, decipi Scaligerum, & complures eius sectatores, qui hanc sententiam Catoni adscribunt, quoniam, quæ fuerit Catonis de Olympiadis anno conditæ Urbis, penitus

tus ignoratur, sed hoc vnum memoriæ prodidit, quod refert Dionysius *lib. 1.* posteriorem esse Romam excidio Troiano annis 432. ac proinde cum de anno huiusce excidij plurimum inter se Scriptores discrepent, nihil firmum de anno conditæ Urbis ex Catone colligi potest. Sic Petavius.

12 Deinde idem *lib. 13. in annis expansis, Per. Jul. Anno 3961.* quem ad annum quartum sextæ Olympiadis refert, eodem anno conditam Romam annotat, hisce verbis, *URBS ROMA. Ab hoc anno anni Urbis Varroniant procedunt.*

13 Tertia igitur sententia, quæ docet, conditam fuisse Urbem anno primo septimæ Olympiadis, si congruè explicetur, est valde probabilis; illamque ut fulciam, aliqua sunt præmittenda. Annotandū igitur primò cum P. Jacobo Gordono, in re Chronologica apprime erudito, *tom. 1. cap. 10. ad Period. 5.* circa præsens dubium, pro nulla ex prælibatis sententijs stare Logicorum apodixim, seu demonstrationem, quoniam pendet resolutio ista ex multis periodis, & annorum computatione, quæ vel ex ipsi annorum fractionibus labefactari potest.

14 Annotandum secundò ex P. Saliano *Anno Mundi 3302. num. 2.* diversimodè computari annos Julianos, & Olympiadum, quoniam

niam anni Juliani initium est mensis Ianuarius, at Olympiadum annus inchoatur sub Solstitium æstivum; Palilia autem agebantur XI. Cal. Mai. Hinc igitur consequens est, anno Juliano tam posteriorem partem anni Olympiaci præcedentis, quam priorem anni sequentis respondere; quapropter vnus Julianus annus potest dici, & primus, & secundus, vel tertius, & quartus eiusdem Olympiadis, quoniam ex magna parte, nempe ex dimidia ferè, vtrumque annum complectitur.

15 His prælibatis, frequentior, celebriorque præsertim apud Nobiles Recentiores, est sententia, quæ asserit Urbem fuisse conditam anno Jphiti vigesimo tertio, idest, sextæ Olympiadis tertio, propè finiente, cui placito adhæret P. Cornelius in *Synopsi Chronol. initio Pentateuchi*. Præter eos, quos supra retuli.

16 Tamen valdè probabilis est, vt supra dixi, alia sententia asserens, Urbem conditam habentem anno quarto sextæ Olympiadis, eo scilicet anno Juliano, quo cœpit primus Olympiadis septimæ, sic docent præter relatos num. 11. P. Jacobus Salianus *Anno Mundi 3302. num. 1. & seqq.* & apud illum quicumque exordium Urbis ad quartum sextæ Olympiadis annum referunt, in his Verrius Flaccus author Tabu-

larum Capitolinarum, alijque ex antiquis plurimi laudati à Saliano, *Anno Mundi 3278. num. 5. 6. & 7.* Torriellus *Anno Mund. 3300. num. 1.* & in *Tabulis*, qui Urbis natalem collocat anno quarto Olymp. sextæ, sicut & Peravius *dit. cap. 50.* & in *annis expansis*, favent quoque P. Peterius in *Daniælem lib. 11. quest. 2.* Gordonus *cap. 10. ad Period. 5.* qui censent Urbem esse conditam anno primo septimæ Olympiadis. Idque apertè satis docuit Julius Solinus in *Polybistore cap. 2.* inquires: *Collatis nostris, & Græcorum temporibus invenimus, incipiente Olympiade septima, Romam conditam, anno post Ilium captum quadringentesimo trigesimo tertio, quem locum expendens P. Peravius tom. 2. de Doctr. temp. lib. 9. cap. 50. lit. B.* subdit: *Hæc est Fastorum capitulinorum sententia, vt rectè Onuphrius animadvertit, cur enim diceret, incipiente Olympiade septima, nisi anno quarta sexta desinente conditam arbitraretur?*

17 Illustratur hæc opinio ab eodem Iulio Solino, ex actis publicis, hoc argumento, videlicet. C. Pompeius Gallus, & Q. Veranius Urbis condita anno octingentesimo primo fuerunt Consules. Consulatus eorum Olympias septima, & ducentesima actis publicis annotata est, quater erga multiplicatis sex, & ducentis Olympi-

piatibus erunt anni octingenti viginti quatuor, quibus de septima Olympiades annexendus est primus annus, ut in solidum colligantur 825. anni. Ex qua summa detractis viginti, & quatuor annis Olympiadum retro sex, manifestè anni 801. reliqui sient. Hactenus Solinus. Sed dilucidius idem instituit cum P. Saliano. Si octingentesimus primus annus Urbis conditæ respondet ducentessimæ septimæ Olympiadi ineunti, necessariò primus Urbis fuit primus septimæ Olympiadis, quia octingenti anni ducentis Olympiadibus exactè adæquantur.

18 At quispiam opponet: igitur non equidem labente anno quarto sextæ Olympiadis, sed ineunte iam anno primo Olympiadis 7. fuit condita Urbs. Respondetur, quòd cum annus consularis à Calendis Ianuarij exordium habeat, ut observant Gordonus, & Petavius, quàm optimè stat, quòd labente iam anno quarto Olympiadis sextæ, & ineunte primo anno septimæ, Urbs condita sit, id quòd Solinus supra indicaverat.

19 Illustratur secundò eadem sententiæ ex temporum epocha ante Olympiadas, obnibus retro seculis admodum frequentata, capitæ scilicet Troiæ, vsque ad Olympiadum initium. Nam ab excidio Ilij ad primum annum primæ Olympiadis, communiter Chronolo-

gi tam recentiores, quàm antiqui, ferè consentiunt, numerari annos sex, septem, vel octo supra quadringentos, quos equidem haud pugnare, arbitratur P. Salianus, sed mirificè consentire; quoniam qui cum Eusebio sex & quadringentos constituunt, nimirum interiectos inter vtrumque terminum numerant, terminos autem ipsos non numerant; qui quadringentos septem malunt, alterutrum terminum prætermittunt. Dionysius Halicarnassæus, *lib. 1. & 2. initio*, cum alijs antiquioribus, quos refert, & sequitur, annos statuit octo, & quadringentos; sed vtrumque terminum illo numero includit, ita ut annus 408. à Troiana clade sit primus Olympiadum.

20 Hanc supputationem stabiliunt, & exornant, præter antiquos plurimos apud P. Salianum, proximè laudandum, è recentioribus optimique Chronologi, Interpretes, Faكتورumque Scriptores, signantèr Genebrardus in *Chron.* in Samsonis temporibus, Scaliger *lib. 5. cap. de Ilij excidio*. Ioannes Cuspinianus, Onuphrius, & Sigonius in *Faistorum Romanis*, Tornicellus *Anno quartæ Etatis* 329. P. Salianus, *Anno Mundi* 2871. *num. 1. 2. & 3.*

21 Deinde ab Ilij casu vsque ad Urbis conditum numerant annos quadringentos triginta duos, adnotante Onuphrio, vbi de an-

no, & die Urbis conditæ disserit, Eratosthenes Cyrenæus, Apollodorus, & qui eos secuti sunt, Q. Catulus, & Cornelius Nepos, Marcus item Cato, Diodorus Siculus, Dionysius, T. Livius, & Theophilus Antiochenus, concinit Julius Solinus in *Polystore*, cap. 2. dum inquit: *Collatis nostris, & Græcorum temporibus, invenimus incipiente Olympiade septima Romam conditam, anno post Ilium captum 433* ubi P. Salius existimat legendum 432. ut exigit recta supputatio: sed si annus 408. sit exactus, vel iam finiens, ideoque Olympias prima computetur ab anno quadringentesimo nono, stant anni quadringenti triginta tres ab excidio Troiæ, incipiente Olympiade septima; sic enim idem Julius Solinus paulo infra asserat, quod Iphitus certamen Olympicum instauravit post excidium Troiæ anno 408. id tamen potest intelligi de illo finiente iam anno, qui ideo non computatur, dum inquit inter exortum Urbis, & Troiam captam interfuisse annos quadringentos triginta tres, posito quòd Roma condita sit, incipiente Olympiada septima, iuxta dicta *hac Sect. n. 14. & 16.*

22 Sed ut ut sit de Solini asserto hoc, recepta sententia est, Olympiadē primā cœpisse anno ab Ilij clade quadringentesimo octavo, & Urbē conditam anno ab eodem Troiæ excidio quadrin-

dringentesimo trigesimo secundo, ut signanter docent P. Salius *Anno Mundi 3278.* Et P. Petavius *de Doctr. Temp. lib. 9. capit. 29.* & in annis expansis. Torriellus, *Anno Mundi 3300. num. 1. & seq.* & alij. Tum sic, annus supra quadringētos octavus fuit primus primæ Olympiadis: igitur trigesimus secundus fuit primus Olympiadis septimæ, habita utique ratione anni Juliani, seu consularis, qui quartum Olympiadis sextæ ex dimidia parte, & dimium incipientis septimæ Olympiadis complectitur, id quod supra diximus, valde probabiliter subduci iuxta rectam Chronologiam; & sententias quoad speciem oppositas in concentum redigit.

23 Dies verò Urbis conditæ à Populo quotannis festo celebrabatur, iuxta illud Propertij, *lib. 4. in Tarpeia fabula.*

Urbi festus erat, dixere Palilia patres;

Hic primus cœpit mœnibus esse dies;

Ovidius quoque, *lib. 4. Fast.*

Arbitrium Romulus urbis habet:

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro;

Sacra Palis suberant, inde movetur opus.

Palilia autem; hos dies nuncupabant, quia Palis deæ festa, habebatur quippè Pales,

vt Pastorum, seu pabuli dea; Parilia quoque eadem festa plerique vocaverūt, in r mutata, quòd celebrarentur à pastoribus ad impetrandum à Pale dea vberes pecorum partus; cuius significationem, ait Solinus, de partu Iliæ tractam volunt, vt scilicet Parilia, quasi partus Iliæ dicerentur: Iliæ enim, geminam dedisse prolem, dicebatur, incidebantque Palilia in XI. Cal. Maias, quo die, idest, in Palilibus, Scriptores passim omnes, Urbem conditam agnoscunt, præcipuè Solinus *cap. 2.* Et C. Sempromius *de Orig. Urbis Roma*, alijque apud P. Sallianum, *Anno Munci 3302. num. 7.* Unde fit, Palilia duobus mensibus antecedentia esse initium sequentis Olympiadis, quæ sub Solstitium æstivum inchoabatur; proptereaque diximus, quod si Olympicum annum attendamus, Urbs condita fuit, Olympiadis sextæ anno quarto labente; si autem ratio habeatur anni Juliani, à mense Ianuario incipiente, etiam ad annum primum septimæ Olympiadis Urbis natalem referri posse, itaque intelligendum Julium Solinum, & Halicarnassæum, quibus alij adstipulantur Recentiores.



SECTIO VIGESIMASEXTA.

EX OLYMPIADUM, ET URBIS CONDITA epocha deducitur septuagenaria Judæorum captivitatis initium, & finis, ubi de Cyri Regno in Perside, ac de ipsius Imperio, Babylone devicta.

ASSERO igitur primò, Templi Urbisque Jerosolymæ conflagrationem, & terræ Judæorum desolationem, eorundemque septuagenariam captivitatem initium habuisse anno secundo Olympiadis quadragesimæ tertiæ: subditur equidem ex eo, quòd præfata captivitas, ac desolatio contigit, Magni Nabuchodonosoris anno nono decimo, vt probatur *ex lib. 4. Reg. cap. 25. v. 1. Et ex Jeremie cap. 52. v. 12.* Ut supra id stabilire, conati sumus; primus autem annus Regni Nabuchodonosoris fuit quartus Joakim, filij Josiæ Regis Judæ: *Jeremia cap. 25. v. 1.* videtis *Set. 14.*

2 Tum sic: ab initio Olympiadum vsque ad quartum Joakimi annum, hoc est, ad primum Magni Nabuchodonosoris, numerandi sunt anni centum quinquaginta vnus; quoniam primus Iphiti, seu primæ Olympiadis,

annus fuit quoque Joatham Regis Judæ annus primus, ut optimè edocent Sapientissimi Chronologi Augustinus Tornielus, *Anno Mundi 3278. num. 6.* Et P. Jacobus Salianus, *Anno Mundi 3278. Et in scholio ad num. 5.* quorum quilibet instar multorum esse potest.

3 Porro autem à primo anno Joatham usque ad primum Nabuchodonosoris intercedunt anni centum quinquaginta vnus, termino excluso; probatur; nam Joatham regnavit annos sedecim, *lib. 4. Regum, capit. 15. v. 33.* Achaz, sedecim, quorum ultimus fuit etiam primus Ezechia, qui annos regnavit viginti novè: Manassès quinquaginta quinque: Amon duobus, Josias, triginta, & vnum, cuius tribus ultimis mensibus regnavit Joachaz; deinde Joakim annis vndecim: omnia hæc constat ex *dict. lib. 4. Reg. cap. 15. & sequentibus*: summa verò horum annorum usque ad Joakimi quartum, & Nabuchodonosoris primum, termino excluso, est 151. id quod estendendum erat: igitur annus primus Magni Nabuchodonosoris fuit Olympiadis trigesimæ octavæ annus quartus, hæc quippè elapsæ Olympiades reddunt annos centum quinquaginta duos, quorum ultimus fuit primus Nabuchodonosoris.

4 Unde fit, quòd, cum Jerosolymæ, & Ju-

Judæ desolatio, ac Judæorum in Babylone captivitas inchoata fuerit anno nono decimo Nabuchodonosoris, is utique annus fuerit Olympiadis quadragesimæ tertie annus secundus, additis videlicet quatuor Olympiadibus, quæ reddunt annos sedecim, tum computatis anno quarto trigesimæ octavæ Olympiadis, & duobus quadragesimæ tertie.

5 Superest modò ostendere, quot fluxerint Olympiades usque ad captivitatis Judæorum ultimū annum; idque ut inclarescat, assertò secundo, Babylonicam Judæorum, captivitatem completam fuisse anno tertio Olympiadis sexagesimæ. Hæc ut stabilietur assertio, præmitto, ut certum, Cyrum nempe regnare cœpisse in quinquagesima quinta Olympiade, hæc est omnium sententia, ita enim veteres Scriptores, magno consensu, tradiderunt, ut refert ex Africano Eusebius *lib. 10. de Prepar. Evangel. cap. 3.* subscribuntque, & animadvertunt recentiores Chronologi, præsertim P. Gordonus, *tom. 1. cap. 12. ad Period. 6. num. 16.* Salianus, *Anno Mundi 3494. num. 2. & 9.* Petavius, *de Doctr. temp. lib. 10. cap. 14.* ubi inquit, nihil tanto Chronologorum veterum, perinde ac recentiorum consensione firmatum, ac stabilitum est, atque epocha Cyri prior, quod ad Olympiadem spectat. Nullus enim ex antiquis

quis Olympiade 55. Cyrum Perlis regnare coepisse, non prodidit, & quidem incunte, hoc est incurrite in annum illius primum; ipse tamen Petavius in annum secundum eiusdem Olympiadis initium Cyri refert: Tirinus autem *Chron. cap. 35.* in annum quartum producit; at communis sententia illud primo anno contigisse, edocet.

6 Caterum ex multorum recepta doctrina, duplex regnandi initium Cyro est tribuendum; alterum in Perside, quod in hunc annum primum Olympiadis 55. cadit, id est, in 38. desolationis; alterum Babylone, quando ea capta, devicto Balthasare, Imperium Babyloniorum transijt in iura Persarum; & de hoc primo anno Imperij Scriptura, & omnes passim Interpretes intelligendi sunt; id quod, & nos libenter damus, concurrat autem hic annus cum liberatione Judæorum, & Olympiadis sexagesimæ anno quarto; at initium regnandi Cyri necessariò multis ante annis accipiendum est, quibus post multas regiones, gentesque debellatas, contra Babylonios denique arma convertit, quibus devictis, Imperator factus, Monarchiæ Persarum initium dedit.

7 Sic sentit P. Ribera in *caput 1. Zachar. num. 8.* & sequentibus, Torniellus, Anno 6. *Etia-*

Ex Olympiadum, & Urbis, &c. Sec. 26. 397
Ætatis 48. num. 2. Salianus, *An. Mund. 3494. num. 3.* & sequentibus, Samerius in sua *Chronologia.* Petavius, *lib. 10. cap. 14.* & 15. Tirinus, *Chron. cap. 35. post 4. conclus.* nec dissentiunt Hebræi, qui dum tres, quatuorve annos Imperio Cyri attribuunt, non autem 30. ut omnes passim hystorici, de Imperio tantum, sive Monarchia, non de Regno Persico intelligendi sunt; Scaliget in *Eusebium*, & Leunclavius in *Chronol. Xenophontis*, ut omittam plerosque sectarios, qui magno consensu initium Regni Cyri ab initio Imperij eius distimulant. Videndus Cicero, *lib. 1. de Divinat. num. 46.*

8 Eadem sententia est antiquorum Scriptorum, nam Herodotus *lib. 1.* ex quo Astyagem à Cyro victum descripsit, multas Provincias, Populosque numerat, quos Cyrus partim sua, partim Harpagi opera, sibi subiecit, quam enumerationem ita concludit. *Porrò Cyrus ubi continentem universam sua ditionis fecisset, Assyrijs bellum intulit. Assyria cum alia multa sunt magna oppida, tum verò celeberrimi nominis, ac validissimum Babylon, illic ubi eversa ab istis Nini regio extiterat.* Ecce Herodotum Assyriam pro Chaldæa, sive Babylonia, sumere: quomodo ergo dici potest initium Regni eius à Babyloniorum Imperio de-

leto, vel quod idem est, à soluta Judæorum captivitate ducendum esse? & non potius à morte Astyagis.

9 Berosus quoque Chaldæus, *lib. 3. apud Josephum lib. 1. contra Apionem*, de ultimo Rege Babyloniorum agens, quem Nabonidum vocat, Scriptura Balthasarem, eius Regni, inquit, anno decimo septimo egressus Cyrus ex Perside cum magno exercitu, universa Asia subacta, impetum fecit in Babylonem urbem: in eandem sententiam Eusebium in Chronico trahit P. Ribera. Nam initio Olympiadis quinquagesimæ quintæ, nulla facta mentione devictæ Babylonis, sic ait: *Principium Regni Persarum; Cyrus Medorum destruxit Imperium, & regnavit Persis, subverso Astyage Rege Medorum;* unde ex alio priori Eusebij loco, quoad speciem contrario, conficitur, vel ipsum sibi fuisse contrarium, vel Cyri Regni, & Imperij annum confudisse. Xenophon in *Pædia* non prius Babylonis victorem facit Cyrum *lib. 7.* quàm Armeniorum, Hircanorum, Phrygum, Capadocum, Arabum, Assyriorum victor, & Dominus esset effectus.

10 Præterea, ut rectè P. Ribera argumentatur, Cyrus paulo post subiugatos Babylonios expeditionem suscepit contra Massagetas, ut Herodotus, Josephus Justinusque testantur,

in qua expeditione occisus est; at quis credat, eam expeditionem triginta annorum fuisse, quos Regno Cyri omnes passim attribuunt, cum nec paucorum quidem mensium fuisse videatur. Accedit argumentum ex sacris literis: nam *lib. 1. Esdra cap. 3. v. 8.* dicitur, anno secundo adventus Judæorum in Judæam Templum inchoari cœptum: fuit is secundus annus à subacta à Cyro Babylone, at *capit. 4.* scriptum est, hostes Judæorum reiectos à societate ædificandi, impedivisse eos, & turbasse in ædificando, varijs artibus, quandiu vivit Cyrus, qui eis favebat: rursus in principio Regni Assueri, sive Cambysis, qui Cyro successit, scripserunt inimici Judæorum ad ipsum, & impetrarunt, ut ædificatio intermitteretur, prout factum fuit usque ad annum secundum Darij Regis Persarum, ut constat ex *lib. 1. Esdra cap. 4. v. 24.*

11 Porro id temporis intermissæ ædificationis fuisset 28. annorum, si initium Regni Cyri à subacta Babylone sumendū esset, quod tamen impossibile apparet: aliud igitur Regni, aliud Imperij Cyri initium fuit: probatur assumptum, quia incredibile est, quod tanto tempore Judæi neminem legatum ad Cyrum, cum querelis miserint; quod si miserunt, quomodo ille tanto tempore eos audi-

te non potuit, aut noluit in negotio, cui fa-
vebat ipse, & quod eius imperio susceptum
fuerat. Tum quia *Daniel capit. 13. v. 64.* ait:
Et Rex Astyages appositus est, ad patres suos, &
suscepit Cyrus Perses Regnum eius. Ubi satis
significat, tunc Cyrum adeptum non fuisse
adhuc Imperium Babylonicum, cum nullam
huius Imperij mentionem fecerit.

12 Unde, cum certum quoque sit, tri-
ginta annos Cyrum regnasse, vt cum *Hero-
doto antiqui Scriptores, & Recentiores com-
munitè tradunt, & simul Imperium Babylo-
nicum septem annos tenuisse, doceant signan-
tè P. Ribera in cap. 1. Zachariae num. 33. Tor-
niellus in sexta Ætate anno 48. num. 5. P. Sa-
lianus, Anno Mundi 3523. num. 1.* subducitur
equidem, completos fuisse annos septuagena-
riæ Judæorum captivitatis anno vigesimo
tertio, & ultimo Regni Cyri in Perside, Olim-
piadis sexagesimæ anno tertio: tres quippè
anni Olympiadis quadragesimæ tertiæ, in cuius
secundo anno inchoata fuit captivitas, & se-
xaginta quatuor anni, quos redunt Olympia-
des sedecim, vsque ad initium sexagesimæ,
ac tres denique anni Olympiadis sexagesimæ,
conficiunt summam annorum septuaginta Ba-
bylonicæ captivitatis.

13 Et profectò, vt dixi, is annus fuit vige-
si-

Ex Olympiadum, & Urbis, &c. Sec. 26. 401
simus tertius Regni Cyri in Perside, quoniam
à primo anno Olympiadis 55. hoc est, ab
exordio Regni Cyri, vsque ad tertium annum
Olympiadis sexagesimæ, incluso utroque ter-
mino, inveniuntur anni viginti tres, sex nem-
pè Olympiades, vno earum ultimo dempto
anno; subremanentque septem anni Imperij
Cyri, quot scilicet imperavit, subacta Baby-
lone, quibus complentur anni triginta totius
Regiæ Cyri Maiestatis. Ac demum Judæi
adepti sunt libertatem anno primo Imperij
Cyri, & quarto Olympiadis sexagesimæ.

14 Idem conficitur ex annis Regum Ba-
bylonis, quoniam, vt diximus *Sect. 11. & 12.*
anno Magni Nabuchodonosoris nono deci-
mo, inchoata fuit captivitas, cumque Nabu-
chodonosor ad annos quadraginta quatuor
regnaverit, accipe eius Regni annos viginti
sex, tum Evilmerodachi viginti tres, & Baltha-
saris viginti vnum, ex quibus constabit nume-
rus annorum septuaginta servitutis, & deso-
lationis. Viden, vt nostra sententia rectè
Olympiadum concinat Chronologiæ.

15 Haud minus coheret temporis ratio-
ni ex annis conditæ Urbis subductæ, quoniam,
vt *Sect. 25. num. 16.* stabilivi, Roma condita
fuit, labente anno quarto sextæ Olympiadis,
incipienteque, eodem anno Julianno, Olym-

piade septima: ideoque annus secundus Olympiadis quadragesimæ tertix, in quo fuit inchoata Judæorum Babylonica captivitas, eorumque regio desolata, concurret cum anno Urbis conditæ centesimo quadragesimo sexto; vt annotat P. Salianus, *Anno Mundi* 3447. Septuagesimus autem captivitatis annus incidit in annum V. C. ducentelimum decimum quintum.

16 Et vt exordij, ac finis huiuscæ captivitatis notiores temporis notas prodam iuxta peritissimum Chronologum P. Salianum, assero, quod Templi Salomonici, & Ierosolimorum conflagratio, simulque initium septuagenariæ Judæorum captivitatis à Jeremia prædictæ computari debet ab anno Mundi 3447. quintæ Ætatis 508. Josedech Judæorum Pontificis 1. Joachini, & transmigrations 12. Salomonici Templi 425. Jeremiæ 41. Magni Nabuchodonosoris 19. Imperij Babylonici 114. Olympiadis XLIII. an. 2. L. Tarquinij Prisci, Rom. Regis 9. Urbis conditæ 146.

ANNUS ANTE CHRISTUM ERAT 606.

17 Completa autem fuit prædicta captivitas, ac desolatio Anno Mundi 3516. quintæ Ætatis 577. Salathielis Judaici Pop. Ducis 41. & ultimo. Trasmigrations 81. Josedechi Pon-

Ex Olympiadum, & Urbis, &c. Sec. 26. 403
tificis, & Desolationis 70. & ultimo. Balthazaris 22. & ultimo. Olympiadis sexagesimæ anno tertio; Cyri Regis Persarum, & Darij medi 23 & ultimo. Servij Tullij, Rom. Regis 40. Urbis conditæ 215.

ANNUS ANTE CHRISTUM ERAT 537.

18 Sequenti verò anno, Deus ipse, qui sapius per Jeremiam, aliosque Prophetas, Judæis libertatem pollicitus fuerat. eam etiam mentem Cyro dedit, vt se facilem Judæorum precibus, atque exorabilem præberet, vt perspicuè in *fine lib. 2. Paralipom.* traditum est, *Anno primo*, inquit, *Cyri Regis Persarum*, (hoc est anno primo Imperij, subacta Babylone) *ad exemplum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, qui iussit predicari in universo Regno suo, etiam per Scripturam: hæc dicit Cyrus Rex Persarum, &c.* prout prælibavimus *Sect. 10. num. 7. & seqq.*

19 Incidit autem hæc Judæorum libertas in annum Mundi 3517. sextæ Ætatis 1. Zorobabelis Ducis 1. Josue Pontificis 1. Cyri, & Imperij Persarum 1. Olympiadis sexagesimæ ann. 4. Urbis cond. 216. Servij Tullij Rom. Regis 41. fuit autem.

ANNUS ANTE CHRISTI NATIVITA-
tem 536.

SECTIO VIGESIMASEPTIMA.

EANDEM TEMPORIS RATIONEM,
quoad annum ab Orbe condito,
consulcit.

1 **C**ONSIGNAVI initij septuagenar-
iæ Judæorum captivitatis, eius-
que finis, & adeptæ libertatis
tempus, habita præsertim ratione annorum ab
Orbe condito, adhærens utique Chronologiæ
Latinæ, ac Vulgatæ editionis, cuius veritatem
tom. 1. Dissert. 1. per totam, propugnare im-
pensè allaboravi, ut vel exemplarium editio-
nis septuaginta Interpretum numeri Chrono-
logici in concordiam cum ijs, quos Vulgata
editio exhibet, redigantur; vel illi desserantur;
retineatur verò id, quod nos edocet Vulgatus
Latinus sacer textus: & quæ iuxta exiguitatem
meam adipisci valui, in utranque partem pro
authoritate utriusque editionis, ac Chrono-
logiæ, contuli, & excerpti.

2 Postmodum autem, iucunda, fausta-
que mihi obtigit fors lustrandi, multaque dis-
cent;

Bandem temporis rationem, &c. Sec. 27. 405
cendi ab Illustrissimo Domino, D. Marcellino
Siuri, Cordubensi dignissimo Præfule, in flo-
rentissima sua, olimque mea Valentina Aca-
demia, post plures sapientiæ, & acuminis adeptas
lauros, Theologiæ Primariæ Cathedra, &
Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositura insigni-
to; hic enim eruditissimus Doctor, & pietate
venerandus Aristes, nuper edidit *Traçtatus
Evangelicos*, opus sanè egregium, litera e
cunctas difficultates mira sapientia, concin-
naque elucidans methodo, & *Tom. 1. Traçt. 16.
capit. 1.* de Tempore Natalis Christi Domini
differens, licet obiter, editionis LXX. Chrono-
logiæ adhærescit, eo maximè ductus fun-
damento, quòd illa temporis ratio habeatur in
Martyrologio, quod in Sæcta Ecclesia legitur,

3 Cui argumento satisfacere ex autho-
ritate, & ratione præstantium Scriptorum co-
natus sum *tom. 1. dissert. 1. Sect. 31. num. 4. &
sequentibus*, adiciamque modò quæ in alijs sa-
pientissimus Authoribus reperi; igitur M. Fr.
Antonius Pagi, Ordinis Minor. Conventual S.
Francisci *tom. 1. Critica Historico Chronologica
in universos Annales Cardinal. Baronij, in Ap-
paratu Chronologico Baronianum illustrante, &
supplente, pag. 1. num. 3.* relata opinione Ivo-
nis Pauli Pezizon, ex strictiori Observantia Or-
dinis Cisterciensis, Doctoris Parisiensis, qui au-

tumat, LXX. Interpretum retinendam editionem, quoad Mundi durationem, & annos hæc habet, quæ subiungo ex illius *num. 5.*

„ 4 In hac controversia, inquit, ab ea opinione
 „ non discedam, quæ veram ætatis primorum
 „ Patriarcharum supputationem ex Hebraicis
 „ Codicibus petendam censet, præsertim cum
 „ Periodus Græco-Romana, cuius usum in hoc
 „ opere demonstrandum suscepi, eandem sup-
 „ ponat. Et quia brevissimam tantum antiquæ
 „ Historiæ synopsis traditurus sum, sequat
 „ opinionem Uferis egregij nostræ ætatis Chro-
 „ nographi: non solum quia periodum Iulianam
 „ ad nostram facile reducendam adhibet; sed
 „ etiam quia ex eius *Annalibus veteris Testam.*
 „ Lector mutuari poterit, quæ hic desideran-
 „ tur.

„ 5 Contexit quidem Baronius, locis supra
 „ laudatis, Catalogum antiquorum Patrum, qui
 „ secundum LXX. Interpretes annos ab origine
 „ Mundi usque ad ortum Christi numerare cõ-
 „ sueverunt; additque *proffiteri*, & *Romanam*
 „ *Ecclesiam in suo Martyrologio se annos suppu-*
 „ *tare secundum eosdem Interpretes.* Sed ad ho-
 „ rum prius Pererij, & Bonfrerij; ad posterius
 „ Maluëdæ, & Ioannis Despieres responsa op-
 „ ponit Uferius in priori parte *Chronologia Sa-*
 „ *cræ cap. 2.* Non me fugit (inquit Pererius in

„ *Genes. lib. 7. num. 130.*) plerisque vete-
 „ rum tam Græcorum, quam Latinorum
 „ Chronologiã, quæ est in translatione LXX.
 „ Interpret. sequi maluisse; quod eam trans-
 „ lationem illi cernerent multis seculis esse in
 „ Ecclesia Dei reverentèr usurpatã, religiosè-
 „ que cultam; atque ob eam causam aliqua in
 „ parte eam mutare, aut non sequi religioni
 „ haberent. Sed apud me (quantum ad Chro-
 „ nologiam, de qua nunc agitur) auctoritas
 „ Scripturæ Hebraicæ, ac Latinæ versionis
 „ Vulgatæ, necnon, & duorum Principum Ec-
 „ clesiæ Doctorum Hieronymi, atque Augus-
 „ tini iudicium, & sententia præponderat.

„ 6 De Romano vero Martyrologio
 „ Maluenda de *Anti Christo lib. 1. capit. 16.*
 „ respondet: Quod Ecclesia Romana in pu-
 „ blicis tabulis eam annorum rationem lauda-
 „ re videatur, quam LXX. dederunt, id qui-
 „ dem non facit, quod veram, & incorruptam
 „ eandem existimet; cum huic è diametro ad-
 „ versantem, ut veram, & genuinam eam sum-
 „ mam, quæ in editione Vulgatæ est configura-
 „ ta, omnibus recipiendam proponat: sed id
 „ tantum salubri temperamento cavit, ut ve-
 „ tus aliquod venerandè vetustatis monumen-
 „ tum, tametsi lacerum ac deforme, & pan-
 „ nis, annisque obsitum exhiberet; omnibus-

que palam faceret, quam rationem secuti fuerint antiqui Patres in enumerandis ex Sacra Scriptura annis ab Orbe procreato ad Christum nascentem; cum soleant vetera antiquitatis monumenta, quantumvis corrosa, & attrita, gratum aspectantibus intuitum præstare. Quo circa nihil opus est, nunc Ecclesiæ Græcæ Vulgatam numerandi rationem commendare, aut Græcorum exemplarium patrocinium contra Hebraicam veritatem suscipere.

7 Et Despieres de Versione LXX. Interpret. *disput. 2. dub. 5.* Nec nos movere debet, quod Ecclesia supputationem LXX. Interpret. ab omni tempore in communem usum receperit. Neque enim ea mens fuit Ecclesiæ, ut nemini liceret ab ea deflectere: sed solum usum probavit, non autem supputationis errores, quos corrigit, quando commodum fuerit. Et forte vsa est hac supputatione corrupta, eo quod Religioni duceret, versionem illam contemnere, cuius auctoritatem, inquit Augustinus, celeberrimam suscepit Ecclesia, & quam ut divinam omnes venerati sunt. Vel forte quod meliora tunc non suppeterebant. Sic Ecclesiæ, & uniuersus Orbis Christianus vitur Era vulgari, & calculo Dionysiano: cum tamen
Chro:

Chronologi non ignobiles doceant, eam non parum abudere à vero, & germano calculo. Ita Despieres; qui tamen in eo fallitur, quòd tradit, uniuersum Orbem Christianum calculo Dionysiano uti; cum is in Patriarchatu Alexandrino nec hodie in vsu sit, neque unquam fuerit, ut in *differt. de Periodo Græco-Romana*, ostendi. His addo, in Martyrologio Romano legi, Christum natum esse anno a creatione Mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: & ab Urbe Romana condita anno septingentesimo quinquagesimo secundo: qui annus tam Urbis iuxta supputationem Capitolinam, quam Mundi, qui est secundum LXX. Interpret. concurret cum anno Juliano XLIII. cum tamen Ecclesia Latina cum Dionysio supponat Christum natum esse anno Juliano XLV. Ex vsu itaque Ecclesiæ hæc difficultas dirimi non potest. Sic docet RR. & pereruditus Chronologus M. Pagi.

8 Cum prælaudatis concinunt Auctoribus Torniiellus, *tom. 1. Annal. in Præfa. num. 9.* P. Petavius *de Doctr. temp. lib. 12. cap. 4. versus finem*: ubi asserit, mentis Ecclesiæ non esse, illum annorum numerum, quoad annos ab Orbe condito, ut veros probare; immo inquit: quòd nullus est hodie, qui Annales, aut

aut historiam attingat, quin & Hebraica ratiociniapotius amplectatur; compertum est autem, Hebraicae lectioni Vulgatam Latinam esse consonam. Retinetur tamen in Martyrologio ea annorum computatio, quia ex editione LXX. ita antiquis temporibus vera existimabatur. Sic Petavius.

9 Fulcitur id ipsum ex doctrina Illustrissimi Domini Abulensis, qui *Commentario in Eusebij Chron. part. 4. cap. 174.* cuius Epigraphe est. *Quare omnes antiqui, & recentiores, (intellige vsque ad illud Authoris tempus) utuntur computatione Interpretum, cum illa vera non sit?* In hunc modum disserit: Dicitur, quispiam quare illis temporum ratiocinijs, utuntur Doctores, cum illa vera non sint? Responsio. Quod ad Eusebium attinet, causa fuit, quia ille Græcus erat, & apud Græcos translatio Interpretum recepta hanc temporum rationem continet, ut supra tradidimus: nec ille poterat aliam amplecti Chronologiam, cum aliam Scripturæ editionem non haberet. Et etiam maximè, quoniam licet Eusebius, cum ad eò eruditus esset, sciret Hebraici textus veritatem, aut illam haberet ex translatione quadam, quam ediderat Origenes ex Hebræo in Græcum, vel aliunde id nosset; tamen illam Chrono-

logiam non amplecteretur, sed potius eam, quæ in editione LXX. reperitur; quia opus suum Eusebius ad Græcos dirigebat, qui Biblijs ex versione septuaginta Interpretum utebantur, & communiter nihil de alijs sacris editionibus sciebant; propterea igitur debuit illis scribere iuxta computationem repertam in Græca editione; secus enim illi existimarent, falsa esse, quæ Eusebius scripserat, nescientes, qua ratione vera esse possent; aut manifestè ostenderet lectionem Interpretum esse falsam, cum iuxta editionem illam, quam ipsi prosequabantur, ducere calculos noluisset Eusebius, sed potius iuxta aliam, ea in re contrariam, quod minimè auderet Eusebius, ne fidem Græcis hinc voluminibus denegare videretur.

10 Quamobrem expediens Eusebio visum fuit, Interpretum numeris Chronologicis inhaerere, exceptis centum triginta annis generationis Cainan, ut supra ostensum fuit. Omnesque Authores Christiani, ante quam Hieronymus translationem aliam ex Hebræo edidisset, id ipsum tenuerunt; quoniam aliam non habebant translationem Sacrorum Bibliorum, aut cui fidem adhiberent, nisi Interpretum, & ob magnam Eusebij authoritatem, qui mundi annos in

„ Chronico ex illa editione numeraverat. Nec
 „ tantum illius ætatis Authores, sed etiam alij
 „ qui post multa florere tempora, facta etiam
 „ translatione à Hieronymo, eandem tempo-
 „ ris rationem observaverunt, ut videre est in
 „ Isidoro, qui *lib. 6. Etymol. cap. de Etati-*
 „ *bus*, Mundi ætates describit, & prosequutus
 „ fuit usque ad illud tempus, scilicet anni sep-
 „ timi decimi Heraclij Imperatoris; & iam
 „ multis retro temporibus Hieronymi trans-
 „ latio confecta erat.

„ 11 Nihilominus Isidori tempore, à Hie-
 „ ronymo edita translatio, maioris æstimation-
 „ nis erat, quam ceteræ omnes, quæ præces-
 „ rant LXX. Interpretum, & cunctorum qui
 „ post illos subsequuti fuerunt; prout inquit
 „ idem Isidorus *lib. 6. Etymologiarum, cap. de*
 „ *Interpretationibus*, dicendo: *transibit quoque*
 „ *Hieronymus, trium linguarum peritus, ex He-*
 „ *bræo in Latinum eloquium easdem Scripturas*
 „ *convertit, eloquentè transfudit; cuius inter-*
 „ *pretatio merito ceteris antefertur; nam & ver-*
 „ *borum tenacior, & perspicuitate sententiæ*
 „ *clarior.*

„ 12 Ceterum ipse Isidorus, qui hæc as-
 „ serit, & Hieronymo posterior multo tempo-
 „ re, videlicet ultra ducentos quadraginta an-
 „ nos, ut ex ipsius Scriptis apparet, Mundi an-
 „ nos

Eandem temporis rationem, &c. Sec. 27. 413
 „ no. computat iuxta literam Interpretum, &
 „ non iuxta Hebraicam, ut cernere est *lib. 6.*
 „ *Etymologiarum, cap. de Etatibus.*

„ 13 Et hoc ideo fecit, quoniam omnes
 „ præstantis autoritatis Doctores Græci, &
 „ Latini, quotquot in Ecclesia præcesserant,
 „ Chronologia numeros ex hac editione du-
 „ cebant; & non fuit ausus ab ea temporis ra-
 „ tione discedere, ne alias ipsius scripta mino-
 „ ris viderentur autoritatis. Et cuncti, qui
 „ susceperunt, & aliquando hos mundi annos
 „ attingant, Interpretum literæ inhaerent, no-
 „ lentes ab auctoritate antiquorum, magnique
 „ nominis doctorum recedere; & propterea
 „ huiuscemodi chronologicus error usque
 „ nunc perseverat; cum tamen aperte nos
 „ sciamus illam supputationem non esse ve-
 „ ram; itaque ostenditur, quomodo numeran-
 „ di sint omnium ætatum anni. Hactenus Il-
 „ lustrissimus, Sapientissimusque Abulensis;
 „ qui id ipsum stabilit, *part. 2. eiusdem Com-*
 „ *ment. in Eusebij Chron. capit. 32.* ut retuli
 „ *tom. 1. dissert. 1. Sect. 30.* Hæc autem tanti
 „ Doctoris in Eusebium Commentaria solum
 „ Castellano idiomate typis data reperitur:
 „ eidemque doctrinæ hæret in *Genes. 9. 7. &*
 „ *seqq.*

14. Et quidem Ecclesiæ sensus potius ex

authoritate Vulgatæ editionis, quàm ex Martyrologio colligendus videtur, cum Sacra Vulgata editio a Tridentina Synodo in cunctis eius partibus sit approbata. *Sess. 4. capit. 1. quamobrem Eximius Doct. P. Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 5. Sec. 1. vers. prima ergo atas,* censuit, de hac temporis periodo in prima, & secunda Mundi ætate, certum omnino esse, solum continere annos, qui in Vulgata editione reperiuntur, ex auctoritate Vulgatæ, & Hebraicæ lectionis; ut prælibavi *tom. 1. dissert. 1. Sect. 31. num. 4.* Conferunt quæ exaravi *ead. Sect. 3. num. 7. usque ad 12. Et Sect. 5. per totam.*

15 Cæterum ante authenticam quoque hanc Vulgatæ editionis venerandam Auctoritatem, & inspecta Hebraici fontis veritate, eandem temporis rationem tenuerunt, & à Græcis Codicibus discessere duo illa Ecclesiæ lumina D. Hieronymus in sua *Translatione, & in questionibus Hebraic. lib. 1. cap. 3. Et lib. 3. cap. 3.* pluribusque alijs in locis. Et D. Augustinus *de Civit. Dei, lib. 15. cap. 11. & 12.* cuius aurea verba dedi *dissert. 1. Sect. 24.* & exponendo *Sect. 25.* plura de Auctoritate Vulgatæ lectionis ante Concilium Tridentinum, & post ipsum adduxi *dic. dissert. 1. Sect. 31. num. 8. & seqq.*

Hęc

16 Hęc delibare haud supervacaneum duxi, ut doctrinæ à nobis traditæ demagis inclarescat veritas; sed non propterea septuaginta Seniorum contemnimus editionem, præsertim cum iuxta D. Augustinum ubi nuper, erratum, quod in eorum irrepsit Codices, non ipsis Sapientissimis, pietateque præstantibus viris, & à Deo in translatione sua afflatis, sed sciolo ceipiam tribuendum sit: vide *dissert. 1. Sect. 2. num. 4.* Nihilominus censemus, vel ad concordiam adducendam Vulgatam authenticam editionem, & septuaginta Seniorum; vel omnino retinendum Vulgatæ textum, & rejiciendum in hac parte oppositum editionis Septuaginta, ut dixi *dissert. 1. Sec. 33. & alibi.*

SECTIO VIGESIMAOCTAVA.

DE DIONYSIANA, ET JULIANA

Periodo.

1 **I**NTER Chronologiæ subsidia, annotante P. Petavio *tom. 1. de Doctrina tempor. lib. 7. cap. 7.* primum locum obtinent, quos characteres, vel characterismos annorum appellant. Est autem character certa quædam nota, qua annus aliquis

quis ab alijs fecernitur, quas notas, & indicia Sol, & Luna, annorum parentes per suos consignant circuitus, iuxta illud *Geneseos cap. 1. Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos.*

2. Eiusmodi notæ sunt cycli ambo Solis, & Lunæ, qui invèri sunt, vt fiat sensibilitèr saltèm æquatio Solaris anni cum Lunari, dixi sensibilitèr, quoniam adhuc non constat etiam strenuis Matheseos cultoribus, commensurabiles omninò esse Solis, ac Lunæ motus: præsertim cum insensibilitèr, ac verè, ipsi anni Solares, multoque magis Lunares inter se sint inæquales, vt edocet optimè P. Andreas Taquet, *Astronomiæ lib. 1. cap. 6. num. 48.* Porro autem à commensurabilitate Solis, & Lunæ annorum pendet eorum æquatio: quæ vt sensibilitèr fiat, excogitati sunt varij Lunisolaris Cycli; est autem Cyclus periodus, aut determinatus annorum numerus, quo exacto, recidunt cum Plenilunia, & Novilunia, tum exordia anni Solaris, & Lunaris in eundem diem, horam, & minutum.

3. Posthabitisque, vt incongruis, alijs quibusdam Cyclis, vt Dyeteride, idest biennij, Tetraeride, quatuor annorum, Octaeteride, annorum octo; denique Meton Atheniensis, Phaeni discipulus Cyclum meditatus fuit decemnovennalem, seu Enneadecæteridem, hoc

De Dionysiana, & Fullana, &c. Sec. 28. 417
hoc est 19. annorum, & ad proximi adductus fuit Olympiadis octogesima sexta anno quarto, sivè exeunte, vt putat P. Ricciolus, sivè incunte, vt edocet Pater Salianns, *Anno Mundi 3621. num. 13* apud quem extitit ille annus 432. ante Assertoris nostri natalem: de quo decemnovennali cyclo fusè disserunt P. Petavius *lib. 7. cap. 4. & 5.* Ricciolus, *Almag. tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 5.* Dominus Vincencius del Olmo, exquisitæ, & omnigenæ eruditionis Author, in *Nova Orbis descriptione capit. 21.* & è Sacra Regali D. Philippi Nerij Valentina Congregatione, viris profectò quàm plurimis doctrina, nobilitate, & eximijs præditis virtutibus, animarumque saluti assidue, & strenuè incumbentibus referta, mihiq; meritissimò observanda sempèr, P. Doct. Thomas Vincencius Tosca, *tom. 9. tract. 27. lib. 3. capit. 4.* dilucida methodo, excultissimaque doctrina omnia, quæ in hunc collineant scopum, illustrans, sicut, & reliqua, quæ ad universam attinent Mathesim; imò & Philosophiam, decoravit. Sed prohi dolor! supremam vitam diem obivit tantus Magister, & Doctor. Haud tamen ambigo, meritis cumulatam ad æthera evolasse, asserente Daniele *capit. 12. v. 3. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti,* cuius pernicunda consuetu-

dine, virtutumque documentis quondam frui, è Superis mihi concessum fuit; quamobrem hoc, etsi exiguum, illius elogium præmittere, gratus animus haud debuit, nec valuit.

4 Licet igitur cyclus prædictus decemnovennalis adeo antiquitus celebris fuerit habitus, vt *Aureus numerus* nuncupatus sit, & Romani in Fastis, aureis literis illum consignaverint; insufficiens tamen est, vt ex illo Lunares anni, & Solares Juliani adæquentur; quoniam 19. Juliani, & civiles anni continent 235. menses Lunares; vnde si Lunaris annus menses solum duodecim Lunares includeret, in Lunari cyclo 19. annorum, reperirentur tantum 228. menses, deficerentque proinde Lunationes septem. Id quod aliter demonstratur; quoniam duodecim Lunares menses, qui iuxta comunem civilem usum, sunt alternatim 30. & 29. dierum, in periodo annorum 19. conficerent dies 6726. suppositisque quatuor bissextis, includerent dies 6730. vel si, vt contingere potest, sint anni quinque bissexti, haberent dies 6731. quibus deductis à 6939. seu à 6940. quot nempe dies continent anni Solares 19. cum quinque bissextis, utique subremanent 209. dies: igitur anni prædicti Lunares 19. duodecim mensium non sunt æquales annis Solaribus 19. vide P. Petavium, *de Doctr.*

De Dionysiana, & Juliana, &c. Sec. 28. 419
temp. tom. 1. lib. 7. cap. 5. Et Thomam Vincen-
tium Tosca tom. 9. trac. 27. cap. 5.

5 Idcirco, vt fiat sensibilis annorum Solarium, ac Lunarium æquatio in periodo annorum 19. embolimi menses, seu intercalares Lunationes septem adhibendæ sunt, quarum sex sint dierum 30. septima autem cava, seu dierum 29. hoc est anni Lunares intercalares, seu embolimæ confici debent ex Lunationibus 13. seu totidem mensibus Lunaribus. Porro autem anni intercalares sive embolimæ, id est, 13. mensium, in præfata periodo sunt 3. 6. 9. 11. 14. 17. & 19. Hæc igitur periodus est quæ cyclus Lunaris, seu numerus aureus appellatur.

6 Cyclus autem Solaris est Solarium annorum quædam periodus, qua præterita, dies Dominica in hebdomade recidit in eandem mensis diem: quod ita explicatur: communis Julianus annus constat 365. diebus, qui numerus si dividatur in 7. qui est numerus dierum hebdomadæ, subremanet dies vnus: quapropter, finito anno, primus Ianuarij dies non recidet in eundem hebdomadæ diem, quo coepit annus elapsus, sed cadet in sequentem hebdomadæ diem: tit exemplo: si annus præteritus coepit die Dominica, subsequens annus incipiet à die Lunæ, seu feria secunda, alius

verò à feria tertia, & sic de reliquis. Unde fit, quòd nisi anni intercederent bissexti, spatio annorum septem, primus anni Juliani dies incideret successivè in omnes hebdomadæ dies: & annus octavus inciperet eadem die Dominica: adeoque sufficerent septem literæ dominicales ad designandum primam hebdomadæ diem.

7 Coeterum cum bissextus annus prædictum ordinem invertat, necesse fuit, quòd numerus 7. qui diebus septem hebdomadæ respondet, multiplicetur quater, qui numerus quatuor respondet quatuor annis, qui fluunt ab vno anno bissexto ad consimilem alium: ex prædicta autem multiplicatione conficitur numerus viginti octo, qui complectitur combinationes, ac mutationes cunctas, quas habere queunt Dominicales literæ, propter bissextos annos, quibus elapsis, in eundem mensis diem recidit dies Dominica, & litera Dominicalis, quæ illam designat.

8 Excogitatus ergo est huiuscemodi Solaris cyclus annorum viginti octo, vt dies Dominica in honorem Christi Domini Resurrectionis ex præcepto colenda perpetuò, singulis annis demonstretur, hiscè videlicet septem literis A. B. C. D. E. F. G.

9 Quæ literæ ita distributæ sunt, vt Ianuarij

De Dionysiana, & Juliana, &c. Sec. 28. 421
rij diei primæ consignata sit litera A. diei 2: B. 3. C. & sequentibus suo ordine D. E. F. G. iterumque eodem consecutivo ordine repetuntur per omnes anni Juliani dies, vsque ad Decembris ultimam, cui competit litera A.

10 Hæc autem literarum collocatio est invariabilis, & fixa; idcirco quæ ad designandam diem Dominicam, literæ Dominicales procedunt semper retrogrado ordine consecutivo, vsque ad annum bissextum, à quo ordo iste invertitur, nempe si aliquo anno litera Dominicalis sit A. sequenti anno non erit B. sed G. & sic consequenter vsque ad annum bissextum; in hoc autem bissextili anno duæ apponuntur literæ Dominicales, prima, quæ designet Dominicos dies à prima mensis Ianuarij vsque ad Februarij vigesimam quartam, deinde alia litera, quæ designandis sequentibus eiusdem anni diebus Dominicis deserviat: in quo etiam ordo retragradus retinetur, vt si exempli causa, in bissexto anno litera A. Dominicos designabat dies ante intercalarem, qui est 24. Februarij, post illum diem iam id muneris præstare non poterit, sed significabit feriam secundam, proptereaque assumitur litera G. vt sit diei Dominicæ nota. Hæc omnia fuse, & luculentè tradunt, & constabiliunt P. Petavius lib. 7. de Doctr. temp. capit. 6. Josephus

Vincentius del Olmo, mira eruditione confpicuus, in *Nova Orbis descriptione capit. 22.* Thomas Vincentius Tolca, *tom. 9. lib. 3. tract. 27. cap. 1. 2. & 3.*

11 Ex duobus igitur cyclis nempe Solis 28. & Lunæ, 19. in sese ductis Periodus conficitur annorum 532. Dionysiana communiter nuncupata, non quidem ex eo, quod Dionysius, cognomento exiguus, sed doctrina, & sanctitate verè magnus, fuerit illius primus inventor, vt animadvertit P. Ricciolus, *lib. 1. Chronol. reformata capit. 9. num. 4.* necnon Doct. Tolca, *tract. 27. lib. 5. capit. 1.* primus enim huiuscè institutor Periodi, fuit Victorius aut Victorinus Aquitanus, qui iussu Pontificis D. Hilarij, illam adinvenit, anno Domini 463, vt observant P. Ricciolus *lib. 1. Chronol. reformata capit. 9. num. 4.* & alij eruditi Recentiores; nihilominus identidem Dionysiana nuncupatur periodus, quoniam prælaudatus Dionysius, oriundus è Scythia, sed Abbas Romanus, eam periodum in aptiorem reduxit formam, collocando illius principium vno anno ante Æram natalis Christi Domini.

12 Methodus autem huius Dionysianæ periodus erat ducere in sese cyclos Solarem 28. & Lunarem 19. ex qua multiplicatione fit numerus annorum 532. quibus finitis, iterum

De Dionysiana, & Juliana, &c. Sec. 28. 423
redibit cyclus Solaris 28. & Lunaris 19. & nulli anni duo in tota periodo iisdem duobus cyclis afficiuntur. Ex quo autem hæc periodus inventa, probataque fuit, relicta ara Olympiadum, Consulium, & prophanorum Imperatorum Augusti, & Diocletiani, qua Orbis eoque vsus fuerat, calculos ducere coepit ab Incarnato Dei Filio, seu potius ab illius nativitate, vt adnotant Ricciolus, Olmo, & alij.

13 Postmodum verò est alia quædam excogitata Periodus, in quam intervalla omnia, quæ à Mundi primordio ad Christum, varijs ex Chronologorum sententijs evoluta sunt, includerentur. Ea constat ex cyclis tribus Solis, Lunæ, & Indictionum, qui est 15. in sese ductis; vel est ipsa periodus Dionysiana per 15. multiplicata, cuius summa est annorum 7980. in qua periodo nullus invenietur annus, in quo concurrant iidem numeri cyclo- rum Solis, Lunæ, & Indictionis, vsquedum tota exacta fuerit periodus. Hanc periodum à Constantinopolitanis accepit Josephus Scaliger, vt annotat P. Petavius *de Doctrina temp. lib. 7. cap. 7.* sed quoniam Græci tres illos cyclos aliter computabant, & caput annis illis est à Septembri, Scaliger periodum istam ad Julianam, & Romanum vsus primus transtu-

lit, & ad Romanum annum, & Paschalem applicavit. Nam & annos illius à Calendis Ianuarij exorsus est, & annum primum æræ vulgaris in eos cyclos coniecit, quibus à Romanis notari vulgo consuevit. Ideo Juliana periodus est dicta; quoniam Juliani anni gratia, & ad eius methodum est constituta. At enim cum ad complendum præfatam periodum in numerum adducantur plura annorum centenaria ante Mundi conditum, qui anni nunquam extitere, ideo ficta periodus dicitur, & est.

14 Et quoniam Indictionum cyclo utitur ea Juliana periodus, etsi quindenarius tantum quicumque numerus assumi posset, nihilominus quædam de indictionibus delibare, haud absre erit: Indictio igitur nomen accipere potuit, ab indictione ludorum Panegyricorum, vel etiam à largitione, tunc usitata, quando inter alias Principum liberalitates, in Quinquennialibus, Encænijs, aut alia simili occasione remittebantur tributa; imò & residua debitorum, & custodia carcerum laxabantur. Sic P. Gordonus *tom. 2. Chronolog. Anno Christi 312.* ex Eusebio de *Vicennialibus Diocletiani,* & de *Quinquennialibus Constantini Magni.* Atque hinc fieri potuit, certa enim origo vix certo definiri potest, ut ex horum ludorum, &

largitionum editione, peteretur ratio putandi tempora, verbi gratia, intervalum inter Quinquennialia, & Vicennialia, distincta largitionibus, ac ludis, quod intervallum erat annorum quindecim, & quod id intervalli deputaretur temporibus, & annis designandis.

15 Verumtamen in hac temporis nota, quota esset indictio non inscribebatur, ut in Olympiadibus numerandis fiebat; sed præcisè cum dicitur indictione quinta, aut sexta, solum notatur, esse quintum, vel sextum annum currentis indictionis, nec inde constat, quota sit quinquennialis indictio; colligi tamen poterit, stabilito earum exordio, ut statim proferam.

16 Duplex autem indictionum nuncupatio solet distingui, quædam Cæsarea, quæ ab octavo Calendis Octobris, alia Pontificia, seu Romana, quæ à Calendis Ianuarij sequentibus progreditur: Cæsarea indictio, etiam Constantiniana appellatur. At verò Cardinalis Baronius, Anno Christi 312. cum pluribus antiquis, & recentioribus Scriptoribus, existimat, nullam factam mentionem, aut institutionem indictionum ante seculum, & tempora Constantini Magni, sive Imperatorias intelligas indictiones, sive Pontificias. Quæstio hæc de seculo, quo cœperunt indictiones, multorum

exercuit ingenia: P. Gordonus *dicto An.* 312. *Christi*, totam hanc controversiam debere sic componi, existimat; nimirum, si quæcunque largitio Imperatoria solemniter habenda est pro indictione, certum est, tales indictiones, longè ante Constantinum fuisse in usu, & tales fuisse, quæ Scaliger *in Canonibus, & Anno Eusebiano* 2194. & 1969. accidisse dixit: cæterum loquendo de indictionibus, quæ constantè observatæ sunt, & institutæ ad annos putandos, nullum earum vestigium reperire est ante Quinquennialia Constantini. Sic Gordonus, & Baronius.

17 Altera est quæstio, quo videlicet præcisè anno cœperint indictiones? Onuphrius Panvinius *Comment. in fast. lib. 2. Anno Urb. conditæ* 1064. putat, primam indictionem sub Constantino inchoatam eo die, quo Maxentium vicit, octavo Calend. Octobris, idem sequuntur Mercator, Anno Christi 311. Hoc tamen refutant Cardin. Baronius, P. Petavius, & alij, qui docent, Constantinianas Indictiones constitutas fuisse anno Christi Domini 312. quam sententiam amplectuntur Scaliger *lib. 5. de Emendati.* Baronius, Gordonus, & Petavius *lib. 11. cap. 40.* asserens, quod nemo non ortas indictiones anno illo, quem diximus 312. Christi, persuasum habet.

Id-

18 Idque deducitur ex Chron. Alexandrino, & Fastis Siculis: ubi habetur, inchoatas Constantino Aug. tertio, & Licinio, secundo, Consulibus, Anno 1. Olympiad. 273. hi autem Consules notantur ad Annum Christi 312. Earum indictionum prima mentio fit in Concilio Romano, sub Julio, qui brevi post Sylvestrum, successit Marco, & apud D. Ambrosium *Epist. ad Episcopos Æmilia.*

19 Ut verò annus currentis indictionis reperiat, ab Annis Christi quibuscunque datis, aufer annos 312. quando diximus inchoatas indictiones, deinde à residuo tolle 15. quoties poteris, numerus remanens erit annus indictionis currentis Pontificiæ, à Ianuario numerandæ; quòd si nihil superfit, signum erit, indictionem quæsitam esse quindecim. Plura de indictionibus præter laudatos Authores, docent Gualterius *secul. 4. pag. 279. col. 12.* Guido Pancirolus *Thesau. var. lect. lib. 2. capit. 242.* Josephus Vincentius *del Olmo, Nov. orb. descrip. cap. 22.*

20 Ex tribus elucidatis, Cyclis nempe Lunari 19. Solari 28. in sese ductis, eorumque summa 532. per 15. indictionis cyclum, multiplicata, fit periodus Juliana 7980. annorum, quam laudibus efferunt P. Petavius *dict. tom. 1. de Doctr. temp. lib. 7. cap. 8.* Et in *Dissertatio-*

ni-

428 *Sacra Chronologica dissert. decima.*
nibus Uronologis, lib. 8. can. 2. Et in Rationario
tempor. Par. 2. cap. 4. Langius lib. 1. de Annis
Christi, cap. 8. & alij, nedum Scaliger.

21 At in ea conficta Periodo nevos aliquos
deprehēdit P. Ricciolus, *Sacre Chron. lib. 1. c. 29.*
Primum nempè, quòd hæc Periodus ante na-
tum Christum non comprehendit nisi annos
4713. cum aliqui numerent plures, quàm
7000. Æra verò Alexandrina 5492. vt ipse
fatetur Petavius, *lib. 8. Uranologij, capit. 13.*
can. 2. Secundum ex eo quòd, cum nullus in-
dictionum vsus fuerit ante annos à Nativitate
Christi 312. inutiliter is cyclus adnotatur.
Tertium quòd non admoneat de bissextilibus
annis discernendis, à communibus, qui sanè
character necessarius est Chronologis, ad an-
nos Julianos versus initium Mundi retro com-
putandos, & ad vsurpandas in illis literas feria-
rum indices. His ergo de causis aliam prælau-
datus, aprimèque doctus Ricciolus excogita-
vit longiorem Periodum, valde vtique inge-
niosam.

22 Coeterum pace, sapientumque
adeò Scriptorum salva honorificentia, con-
fictas hæc periodos haud admodum viles
censerem, ad præcipuas Chronologicas ele-
vandam difficultates, præsertim, quæ ad Sacræ

De Dionysiana, & Juliana, &c. Sec. 28. 429
Paginæ intelligentiam, & ante epocham Na-
tivitatis Christi Domini attinent, id quod præ-
notatur P. Jacobus Gordonus *tom. 1. Chro-*
nol. ad Perid. 2. capit. 4. num. 7. Doctor Tho-
mas Vincentius Tosca *tom. 9. tract. 27. lib. 5.*
cap. 2. de Juliana Periodo vterque loquentes,
& quidem Gordonus inutilem absolute, Tos-
ca, nullius ferè vtilitatis eam esse asserit pro
annis ante ortum Assertoris nostri.

23 Idque ex eo deduci valet, nam cum
illis retroactis seculis nulla fuerit observantia,
& adnotatio trium cyclorum Lunæ, Solis, &
Indictionum, designari non poterit certus il-
lorum concursus, vt inde erui possit, quot
anni fluxerint ab vno rerum eventu ad alium,
verbi gratia ab exitu filiorum Israel ex Ægypto
ad Templi iacta fundamenta, vel à Templi
conflagratione, ad finem Babylonicæ captivi-
tatis; idcirco relictis illis confictis periodis,
ad Sacram Scripturam, adque PP. & sapien-
tum sententiam, pro eruenda veritate, aut
congruentiori sensu, confugere opus est.

24 Illustratur exemplo equidem ipso,
quod ad huiuscè laudem periodi vtitur P. Pe-
tavius *de Doctr. temp. lib. 7. capit. 8.* vbi ex eo,
quòd primus Agon Olympicus sit anno ante
Christianam epocham 776. non vtique 786. vt
per Typographiæ erratum eo loci habetur,
quo-

430 *Sacra Chronologica dissert. decima.*
quoniam ipse *lib. 9. cap. 41. & sequentibus*, ostendere nititur primum Iphiti, seu Olympiadum annum esse equidem 176. ante initium Æræ Christianæ, cyclo Solis 18. Lunæ 5. indictionis 8. idque autoritate, quam certissimam putat, & ex Astronomicis observationibus, stabiliri, existimat: subinde autem infert, quod hic annus respondeat Julianæ periodi anno 3938. ex quo progreditur ad rejiciendam Torielli, & aliorum sententias de anno Christi Natalis.

25 Ex prælibato tamen argumento utilitatis parum pro Juliana deducitur Periodo; quoniam, ut eadem liquidum sit complexione, ut ex ea periodo aliquid subinferatur, primo supponenda est aliqua epocha, qualis est illa exordij Olympiadum usque ad Christianam Æram, eamque fuisse annorum 776. at hæcæ supposito, fallibilitati alicui obnoxia est, vel ex eo saltem, quod aliqui, quibus adferuntur P. Tirinus *Chron. capit. 31.* censeant, Olympiadum initium constituendum Mundi anno 3250. Ozia Regis Judæ 5. Alij verò præcipue P. Salianus, id initij collocant Mundi anno 3278. Joatham Regis Judæ 1 quapropter illa epocha annorum 776. à primo Olympico agone ad Christianam Æram, estò frequenter à recentioribus Chronologis recepta, dif-

De Dionysiana, & Juliana, &c. Sec. 28. 431
difficiliter aptari valet diversis, & inæqualibus Olympiadum exordijs.

26 Deinde P. Salianus *tom. 6. Anno Mundi 4052.* existinat, Christum Dominum re vera natum esse vno integro anno, & diebus octo ante Calendas Januarij Epochæ vitæ Christianorum, idque pluribus comprobatur argumentis; ideoque initium Olympiadum consignat anno 775. ante Christianam Æram; quare, si sermo sit de periodo, quæ verè elapsa fuit à primo Olympico agone usque ad Christi Nativitatem, non fuit annorum 776. sed 775. iuxta Salianum.

27 Ad hæc P. Ricciolus *tom. 1. Chronol. reformatæ, lib. 8. cap. 4. conclus. 4. par. 1.* asserit, Deum Optimum Maximum, noluisse nos in hac vita certos esse de præciso, & singulari hoc anno; id quod sapienter stabilis licet iure optimo doceat, retinendum esse in praxi usum computandi annos à Christi Nativitate, prout hæcenus factum est. Eandem incertitudinem prædicti anni agnoscit P. Tirinus *Chronici cap. 47.* ubi plures probabiles circa id temporis sententias refert. Unde conficitur, quod cum temporis ratio ex Juliana assumpta Periodo præsupponat illum Christi Assessoris nostri ortus annum præcisum, non potest quæpiam maior certitudo ex tali evin-

evinci periodo, quam quæ in suppositione adest.

28 Nec vllatenus eadem Periodus vsurpari potest ad complures alias, vtique salebrofas, difficultates elucidandas, vt de annis 480. ab exitu Israelitarum ex Ægypto vsque ad Templi conditum, de annis Regum Judæ, & Israelis, de initio & fine Babylonicæ captivitatis, ac septuaginta Hebdomadum Danielis, similiaque adduci possunt; quoniam in illis nulli cycli Solis, Lunæ, & Indictionum, congnati reperiuntur.

29 Denique idem P. Petavius Julianam Periodum enixè commendans *lib. 7. cap. 8.* animadvertit, Josephum Scaligerum, cui hæc ingeniosa chronologica inventio, seu eiusdem illustratio tribuitur, Mundi Epocham seu exordium conferre in Autumnum anni Peridi Julianæ 764. vel Calendis Ianuarij anni 765. quem & Calvisius sequitur; aliosque aliud exordium posuisse; at Petavius mundi conditum collocat Julianæ Peridi Anno 731. à Calendis Ianuarij. Igitur cum in ea Periodo connectenda cum Annis Mundi, & consequenter cum alijs contractionibus periodis, tanta possit reperiri discrepantia, exiguum adiumentum eruendæ è tenebris veritati ex imaginaria prædicta Juliana Periodo acrescere valet.

Ea-

30 Eaque fortè de causa peritissimi Chronologi Pererius, Gordonus, Torniiellus, Sallianus, & Tirinus, in suis Annalibus, & Chronologicis Commentarijs, Julianam Periodum prætermisserunt; cum aliunde ferè cunctas illustres Epochas diligentissimè scrutentur, & elucident.

SECTIO VIGESIMANONA.

*PROPONITUR, ET ELEVATUR
obiectio ex Baruch cap. 6. emergens.*

1 **I**N prælibato capit. 6. Baruch, proponitur exemplar epistolæ, quam misit Jeremias ad abducendos captivos in Babyloniæ à rege Babyloniæ, vt annuntiaret illis secundum quod præceptum est illi à Deo: Propter peccata (inquit Jeremias) quæ peccastis ante Deum abducentini in Babyloniæ captivi à Nabuchodonosor rege Babyloniæ. Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis vsque ad generationes septem; post hoc autem educam vos inde in pace.

2 Unde non levis emergit difficultas, quomodo enim septem generationibus defi-

Ee

ni-

nitur captivitas, quam septuaginta tantum annorum fore, tam sæpe aliæ Scripturæ testantur. Septem quippè generationibus, si singulis annos viginti, ut contingere solet, attribuamus, fient anni centum quadraginta; tum quia hanc epistolam Jeremias, scriba, & adiutore suo Baruch, scripsit Judæis, qui in Babylonem captivi ducebantur, eodem illo primo captivitatis, & desolationis anno, ut edocent Toraniellus, & Christophorus a Castro, quibus ad stipulatur P. Salianus, *Anno Mundi 3447. num. 31.*

3 Quamobrem hæc difficultas multorum quotidie Interpretum ingenia vehementer exercet. Respondent alij, *septem* pro numero indefinito sumendum, sic *Leviticæ cap. 26.* dicitur: *septem plagis corripiam vos.* Id est multis. Et *Proverborum capit. 24.* *septies in die cadit iustus.* Secundò alij dicunt, quindecim annos singulis generationibus esse tribuendos, ita ut quinque generationes intermedia fuerint plenæ, prima, & vltima non nisi inchoatæ. Tertio alij asserunt, generationem sumi pro decem annis, ita PP. Cornelius, & Tiranus in *6. cap. Baruch.* Quarrò P. Villalpando in *Apparatu Ezechiel. p. 1. lib. 3. capit. 2.* inquit, quod generatio complectitur quatuordecim annos, quia tunc homo potens est ge-

nerare; generatio ergo prima ab Jerusalem est translata Babylonem: ea cum primum Babylonem appulit, filios, id est secundam generationem, procreavit, & sic reliquis, computatis usque ad septimam, quæ Babylone exorta in libertatem statim pervenit: unde demptis annis quatuordecim exactis primæ generationis, & quatuordecim annis septimæ generationis, subremanent septuaginta anni captivitatis. Hanc expositionem probabilem putat P. Cornelius.

4 Patior tamen videtur alia, quam tertio loco tradit P. Pererius *lib. 10. in Daniele*, ad illa verba, *Ego Daniel*, videlicet septem hæc generationes, de quibus Baruch *capit. 6.* non in primo anno Imperij Cyri, & libertatis Judæorum terminari, sed longè post adeptam libertatem, cum tempore Artaxerxis, Esdras cum multis alijs in Judæam missus est *lib. 1. Esdr. cap. 7. v. 8. & 14.* Sicut enim per partes Judæi in captivitatem ducti sunt, ita & inde per partes redierunt. Porrò à septuagesimo anno desolationis, & captivitatis ad Esdræ, reliquorumque profectio in Jerusalem fluxere anni septem Cyri, octo Cambysis, triginta Rex Darij Hythaspis, viginti duo Xerxis, septemque Artaxerxis Longimani; ex quibus annis cum septuaginta desolationis, & captivitatis

tis conficitur Periodus annorum 150. eoque intervallo, quàm optimè septem generationes computari, & interesse potuerunt, tribuendo singulis annos viginti vnum: Eusebius autem *lib. 10. Preparat. cap. ult.* vni generationi dat præcisè annos viginti. Prælibatæ interpretati-
 tioni adhærent Torneilius, *Anno Mundi 3447. num. 32.* Et Salianus *An. Mundi 3447. num. 32.*

SECTIO TRIGESIMA.

CONSECTARIUM ADVERSUS JUDAI- cam perfidiam.

EX septuagenariæ Judæorum capti-
 vitatis expositæ termino Judæo-
 rum in Lege Gratia revincitur
 perfidia; quoniam cum prædicta captivitas
 sicut aliæ priores calamitates istius Judai-
 cici Populi, prædicentur à Prophetis, simul
 etiam prænuntiabatur finis, ac liberatio, ostendebaturque illis spes, fore ut in statum pristinum restituerentur, ut constat ex *Gen. cap. 15. v. 14.* vbi refertur peregrinatio, calamitas, & captivitas per annos quadringentos: de quo fusè egimus *tom. 1. dissert. 2.* tum ex *Jeremia cap. 29.* vbi de Babylonica septuagenaria captivitate, quam versamus.

2 Et *Danielis cap. 8. v. 14.* vbi prædicitur alia Judæorum per Antiochum desolatio per dies duo millia trecentos, hoc est, annos sex, menses quatuor, dies viginti, sic P. Cornelius in Daniele; at P. Tirinus inquit, computari annos sex Lunares, menses quinque, dies viginti, quæ clades cœpit anno centesimo quadragesimo tertio Imperij Græcorum, ut habetur *lib. 1. Mach. cap. 1. v. 21.* & duravit vsque ad annum centesimum quadragesimum nonum, quo mortuus est Antiochus, *lib. 1. Machab. cap. 6. v. 16.* licet enim, anno præcedenti Judas Machabæus mundaverit Templum ab Antiocho pollutum, ut dicitur *lib. 1. Machab. cap. 4. v. 52.* tamen, quia adhuc vivebat Antiochus, non dum desolatio, & persecutio cessabat, non dum liberè agere, & sacrificare poterant Judæi: eo verò mortuo anno sequenti centesimo quadragesimo nono, omni metu, & persecutione soluti, sua festa, & sacra publicè, & intrepidè celebrare cœperunt. Perperam autem apud Septuaginta legitur dies 2400. apud alios teste D. Hieronymo 2200. Hebræa enim, & Latina Vulgata constantèr habent *duomillia trecenti.*

3 Tum sic: cum Regnū Judææ ob plurima fœdaque scelera, præsertim idololatriæ, quæ refert *Jeremias 6. 25. v. 6.* in Babylonicam inci-

derit captivitatem, tamen Dominus erum-
narum Populi sui commiseratione tactus, li-
berationem, & reditum in terram præ-
dixit, Jerem. *cap. 29. v. 10.* illam quæ adepti
sunt; vt supra ostendimus: at Judæi, ac Ju-
daizantes nullam eiusmodi libertatis prædic-
tionem habent, quæ propriè pertineat ad ca-
lamitatem, qua vbiq; terrarum afficiuntur,
idque supra mille sexcentos annos, in quibus
exuti sunt Regibus, Ducibus, Sacerdotio, Sa-
crificijs, & alijs ad cultum Dei pertinentibus:
proclive igitur est agnoscere, illos non am-
plius veram, & Deo gratam Religionem co-
lere, sed prorsus à Deo abiectos esse, atque
adeò nunquam eorum cladem, quam cerni-
mus, habituram finem. Hoc argumentum
elucidant Theologi, in *2. 2. D. Thomæ*, dum
evidentem rerum fidei credibilitatem stabi-
liunt, & *part. 3.* vbi Incarnationem Divini
Verbi peractam ostendunt.

4 Nihilominus operæ pretium duxi, id
ipsum communire autoritate cuiusdam Sa-
pientissimi Judæi primum, sed & postmodum
ad Christi fidem conversi, scilicet Pauli à S.
Maria, Episcopi Carthagenensis, dein Bur-
gensis, Archicancellarij Castellæ, & Legionis,
qui multa eruditione Sacræ Scripturæ Glos-
sam ditavit, notabilibus additionibus ad Pos-
til-

Confectarium adversus, &c. Sec. 30. 439
tillas Nicolai Lirani in Biblia; scripsit insuper
Scrutinium Scripturarum, cuius operis scopus
est, ex Sacris Scripturis ostendere, Verbi Di-
vini Incarnationem iam fuisse peractam, &
Messiam advenisse, Judæorumque evincerè
sceleratam perfidiam.

5 Illo igitur tractatu *Scrutin. Scriptur.*
2. par. distinc. 6. cap. 2. Burgensis hæc habet.
„ Si diligentè Scripturas Sacras, & alias apud
„ Hebræos authenticas, scrutatus fueris, certè
„ reperies, quòd in peccato, pro quo Judæi
„ existunt in hac diuturna captivitate tria
„ oportet concurrere. Primum est, quòd hoc
„ peccatum sit gravius, quàm illud pro quò
„ afflicti seu detenti fuerunt in captivitatè
„ Babylonica, quod patet ex hoc: nam sicut
„ præsens eorum captivitas valde longior est
„ in duratione, quàm illa, vt est manifestum,
„ sic acrior est, atque acerbior illa. In capti-
„ vitate enim Babylonica, in qua tantum sep-
„ tuaginta annis duraverunt, vt habetur *Je-*
„ *remia 29.* Joachim Rex Judæ honoratus
„ fuit, & in sede regali cum alijs Regibus ho-
„ norificè positus per Regem Babylonie, vt
„ habetur, *4. Reg. vlti.* Similiter & alij ipsius
„ generis in honore fuerunt constituti, vt ha-
„ betur *Daniel. 1. & 2.*
„ 6 Similiter in illa captivitate non leguntur

„ tur Judæi fuisse venditi in vilissimo pretio;
 „ nec etiam in magna multitudine interfecti
 „ sunt. In hac verò captivitate communiter
 „ non leguntur sic in honore notabili consti-
 „ tuti, sed quodammodo, vt servi, seu eieci
 „ vbique tractantur, & de eis maxima multi-
 „ tudo in destructione Jerusalem per Titum
 „ interfecti, & consimiliter in destructione
 „ Civitatis, quæ dicitur Bither, vbi innume-
 „ rabilis multitudo eorum, sub quodam falso
 „ Messia, quem sibi imposuerunt nomine Bar-
 „ cozba commorabantur, maxima multitudo
 „ eorum vastata fuit, vt ista largius tradun-
 „ tur à Josepho in libro de Judaico bello, &
 „ in Talmuth in libro, qui dicitur Gintin.

„ 7 Item in captivitate Babylonica inter
 „ eos fuerunt multi Prophetæ: quidam eorum
 „ præsentés fuerunt in ipsa captivitate, qui eos
 „ ex parte Dei increpabant de peccatis præ-
 „ teritis, & exortabantur ad bonum pœnitentia:
 „ similitèr de spe redemptionis, & salutis
 „ consolabantur, vt patet de Jeremia, & Eze-
 „ quiele in eorum Prophetijs. Quidam vero
 „ Prophetæ fuerunt inter eos iam prope finem
 „ captivitatis, & in principio reductionis, vt
 „ patet de Daniele, & Esdra, & Zacharia, &
 „ Aggeo, & huiusmodi, ex quo Dei pœnitentia
 „ in eis manifestabatur, eo quòd Deus adhuc

„ huc habebat eos tanquam Populum pro-
 „ prium. In hac verò captivitate nunquam
 „ aliquis Propheta insurgit, iuxta illud Psal-
 „ mi 73. v. 9. *Iam non est Propheta, & nos*
 „ *non cognosceat amplius;* quod est magnum sig-
 „ num reprobationis eorum à Deo, & quòd
 „ eos iam dereliquit tanquam non Populum
 „ suum: ex quibus & multis alijs similibus ma-
 „ nifestè habetur, quòd Judæi in hac capti-
 „ vitate sunt gravius puniti, & à Deo elonga-
 „ ti, quàm fuerunt in Babylonica captivitate.
 „ Ex quo consequenter concluditur veritas
 „ primi præsuppositi, scilicèt quòd peccatum
 „ ex quo captivitas eorum præsens eis prove-
 „ nit, valde gravius est, quàm illud pro quo in
 „ in captivitate Babylonica fuerunt. Patet
 „ hoc quia secundum mensuram delicti erit
 „ plagarum modus, *Deuteronom. capit. 25. v. 2.*
 „ Hunc autem gravitatis peccati excessum,
 „ aliquibus interiectis, idem Burgenfis osten-
 „ dit in hunc modum.

„ 8 Nam blasfemia Dei in persona Chris-
 „ ti, cum tanto scelere, & inormitate comissa
 „ vsque ad ipsius occisionem turpissimam, &
 „ ignominiosam, gravior est, quàm idololatria,
 „ quæ licèt sit de gravissimis peccatorum,
 „ non tamen in Personam Dei committitur
 „ de directo. Unde nec idololatria æquiparari
 „ de-

debet blasphemiae Christi in gravitate. Qui enim in personam Regis committit offensam, praesertim cum blasphemando & turpiter occidendo, criminiosius eum offendit, quam qui alium Regem supra se praeter proprium Regem imponit, vel quam ille qui dominium suo Regi negat tantum, non committendo in personam suam aliam offensam. Cum enim peccata primorum prout declarantur in 4. Reg. & in alijs locis, fuerint idololatria, adulteria, & homicidia, quae licet sint gravia, non tamen sunt tanta gravitatis, sicut peccata supradicta, quae in Personam Christi veri Dei fuerunt commissa, sequitur quod hoc peccatum gravius est, quam peccata, quae in Templo primo a Judaeis fuerunt commissa.

9 Secundum vero praesuppositum, quod occurrere debet in hoc peccato, est, quod tale peccatum sit commune omnibus in hac captivitate ubique terrarum existentibus, quod proprie convenit huic peccato, scilicet de blasphemiam, & occisione Christi: licet enim Judaei, qui post destructionem secundi Templi fuerunt, non intervenerunt in blasphemiam Christi, & eius occisione, omnes tamen quicumque sunt sub Hebraica perfidia, consentiunt, approbant, & laudant omnia

nia scelera, atque peccata, quae commissa fuerunt per suos praedecessores in Personam Christi, ut patet per omnes Magistros eorum, qui conveniunt in hoc, quod occisores Christi secundum veram iustitiam legis eum occiderunt. Unde Rab. Moys. in lib. de Judi. tit. de Regibus, & Messia, sic dicit: Circa finem Templi secundi Nazarenus ille iactavit se esse Messiam; & ideo sapientes, & Magistri nostri fecerunt de eo, seu in eum quod debebat fieri. Haec ille. Et est communis sententia eorum, prout est satis notum cuicumque notitiam eorum habenti. Tertium vero, quod in huiusmodi peccato, pro quo Judaei in hac captivitate existunt, occurrere habet, scilicet quod tale peccatum sit ignotum, (nempe ob crassam ignorantiam, & perfidiam eorundem obcaecationem) proprie applicatur peccato blasphemiae, & occisionis Christi, quod sic patet. Nam ipsi non reputant, quod hoc fuit peccatum, imo in hoc (licet temere) credunt, se obsequium praestasse Deo, cum aestimant, quod secundum iustitiam Legis Christus fuisset reus mortis, ut statim supra dictum est. Cum autem nulli alteri peccato Judaeorum praedicta tria conveniant simul, nisi tantum peccato supradicto, scilicet blasphemiae Christi, &c.

„ sequitur, quòd sit istud peccatum pro quo
 „ solo in hac captivitate existunt. Hactenus
 per doctus Paulus à S. Maria, qui sequenti
 cap. 3. pergit id ipsum ulterius stabilens.

10 Utque huiusce Præfulis sapiëntiam cum
 pietate coniunctam commendem, addicio,
 quod de illo, gravi, & erudito calamo scripsit
 P. Ioannes Mariana *de Rebus Hispania lib. 19.
 cap. 8. num. 10.* Ubi hæc habet: *Paulus Carthage-
 na, cognomento Burgensis à patria unde ortum
 habuit, & ubi Episcopum egit, professione antea
 Judeus, copijs, nobilitate, doctrina laude, in ea
 gente facile princeps. Is Divi Thome Aquinatis
 scripta de Theologia pervolvendo, facile intel-
 lexit, quantum Christiana Religio Judaica su-
 perstitioni præstaret: noster effectus Religionis,
 quam suscepit, placita literis illustravit: Libro-
 que edidit in suo genere mirandos. Erat enim
 ingenio facili, copioso, perspicaci, & divinarum
 literarum cognitione præstabat. Trevigni Ar-
 chidiaconus primùm, deinde Carthaginensis
 Præsul, postremò Burgensis creatus. Id probita-
 tis, eruditionisque præmium fuit: addita conse-
 quentibus annis Scrinij Regij Præfectura per-
 pectæ fidei argumento, quòd rarum in ea gente
 est. Eiusque illa vox fuit: (sic fama tulit) Ex
 ea gente prognatis nullam reipublicæ partem
 committendam videri, moribus ex fraude, atque
 men-*

Consefartium adversus, &c. Sec. 30. 445
mendacio compositis, simulare, mentirique natis;
neque bello bonis, neque pace. Sic Mariana.

11 Idem argumentum, quod in exarato
 Burgensis loco conficitur adversus Judaicam
 superstitionem, ac sceleratam perfidiam, tradi-
 dit Rabbi Samuel Israelita in epistola, quam
 misit ad Rabbi Isaac Magistrum Synagogæ,
 in Subiulmeta Regni Morochorum, ex Ara-
 bico in Latinum translata à Fr. Alfonso Bo-
 nihominis, Hispano, ex sacro, & inclito Præ-
 dicatorum Ordine; in lucemque publicam
 editam laudabili valde studio ac pietate Ma-
 gistri Christophori Sanctotifij Augustiniani;
 & Sacræ Theologiæ professoris: vñà cum *Scruti-
 nio Scripturarum* Burgensis Præfulis.

12 Huiusce igitur epistolæ primo cap. sic
 „ habetur: Desidero domine mi certificari
 „ per te ex testimonijs legis, & Prophetarum,
 „ & aliarum Scripturarum, quare nos Judæi
 „ generalitèr percusi sumus à Deo in captivi-
 „ tate ista, in qua sumus, quæ potest vocari
 „ propriè ira Dei perpetua, quoniam non ha-
 „ bet finem. Nam modò sunt mille anni com-
 „ pleti & ultra, quod per Titum fuimus cap-
 „ tivati. Nos scimus quòd Patres nostri ado-
 „ raverunt idola, occiderunt Prophetas, & le-
 „ gem Dei abiecerunt, & propter omnes istas
 „ transgressiones Deus non percussit eos cap-

,, tivitatem nisi per Septuaginta annos in Baby-
 ,, lonia, & post tempus præfatum placatus est
 ,, eis, & reduxit eos in terram suam. Et secun-
 ,, dum scripturam, ira Dei fuit tunc validis-
 ,, sima super omnes iras, quas ante tempora
 ,, illa commemorat Scriptura: & tamen, vt
 ,, dictum est, poena tantorum peccatorum
 ,, non fuit nisi septuaginta annis. Et nunc,
 ,, Domine mi, ira Dei, quæ in præfenti punit
 ,, nos, non habet terminum, nec finis eius no-
 ,, bis promittitur in Prophetis.

,, 13 Si voluerimus dicere, quòd ista præ-
 ,, sens ira, in qua sumus, sit adhuc illa ira, prop-
 ,, terquam fuit illa captivitas septuaginta an-
 ,, norum, quia tunc non completè satisfactum
 ,, est de peccatis prædictis per illos patres nos-
 ,, tros, nos facimus Deum mendacem, quod
 ,, absit, quoniam ipse Deus verus, & glorio-
 ,, sus illi captivitati imposuit præfatum ter-
 ,, minum per Prophetas scilicèt septuaginta
 ,, annos, vnde talis non est responsio, sed eva-
 ,, sio, seu excusatio, nec esset coram intelli-
 ,, gentibus proponenda. Sic Rabbi Samuel,
 ,, qui pergit usè hoc argumentum, & plura
 ,, alia contra perfidos, & obæcatos Judæos
 ,, expendens. Quòd autem tempus Babylo-
 ,, nicæ captivitatis, & Judææ desolationis
 ,, præfixus fuerit à Deo, luculentè constat ex

*Jerem. cap. 29. v. 10. ibi: Quia hæc dicit Domi-
 nus: cum ceperint impleri in Babylone Septua-
 ginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos,
 verbum meum bonum, et reducam vos ad lo-
 cum istum: & supra id à nobis ostensum fuit.*

14 Coronidem imponam observan-
 do cum D. Augustino *lib. 1. de Consensu Evan-
 gel. cap. 14. Et lib. 18. de Civit. Dei, cap. 46. Et
 epist. 59. ad Paulinum, in solut. ad 2. quest. Di-
 vinitus, magnoque nostro commodo, factum
 esse, vt Judæi in illa vastatione Jerosolymita-
 na non omnes funditus deleti fuerint, sed ali-
 qui etiam in varias Mundi partes dispersi. Sic
 enim consecuti sumus, vt testimonia nostræ
 fidei secum ipsi, contra se, & pro nobis cir-
 cumferant, nosque optimo iure vsutpate pos-
 simus illud *Deuteron. capit. 32. v. 31. Et ini-
 mici nostri sunt iudices.* Id quod idem Augus-
 tinus *lib. 18. de Civit. cap. 46. Et epist. 59. ad
 Paulin.* indicat à Deo postulatam fuisse voce
 illa Christi in Psalmis, *Psal. 58. Deus, inquit,
 ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos,
 ne quando obliviscantur Populi mei. Disperge
 illos in virtute tua, & depone eos protector meus
 Domine.* Subditque S. Doctor: *Demonstra-
 vit igitur Deus Ecclesia in inimicis eius Judæis
 gratiam misericordie suæ, quoniam sicut dicit**

Apostolus ad Roman. 11. Delictum illorum salus est in gentibus. Idem argumentum tradit Burgenfis in Scrat. dist. 6. cap. 1. addens quod Judæi videntes, eos quotidie affligi, & sup-primi in pœnam sceleris occisionis Christi, non possunt ista oblivioni tradere, nec de ijs dubitare.

OMNIA AUTEM USQUE AD
Iota, & apicem, Sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ correctioni subiecta esse
volumus.

SI QUID LAUDE DIGNUM
appareat, illud vltro destino honori, &
Gloriæ Dei, Opt. Max. Immaculatæ
Virginis Mariæ, & Protoparentis
Soc. Iesu D. Ignatij, ac SS.
Borgiæ, & Xaverij,
eiusdem Socie-
tatis.

INDEX

ANTELOQUIORUM.

- A**nteloq. 7. *Sensuum Divina Scriptura di-
visionem optimam esse, ostendit. pag. 1.*
Anteloq. 8. *Pralibata sensuum divisio sit nè ac-
cidentalis, aut essentialis? pag. 6.*
Anteloq. 9. *Literalem sensum describit. pag. 9.*
Anteloq. 10. *Sensus literalis vltior declaratio.
pag. 13.*
Anteloq. 11. *Eidem Scriptura loco plures sen-
sus inesse literales, probabilissima fert senten-
tia. pag. 24.*
Anteloq. 12. *Obiectionibus fit satis, relatis Au-
thoribus opposita sententia. pag. 31.*

INDEX

DISSERTATIONUM, ET SECTIONUM.

- D**issert. 5. *De annis Regni Saul.
Ad intelligentiam textus lib. 1. Regum,
cap. 13. V. 1.*
Sect. 1. *In Sacra Scriptura nihil exigui momen-
ti censendum, præmittit, & textus difficulta-
tem delibat. pag. 43.*

INDEX

- Se^{ct.} 2. Proponitur, & refellitur prima sententia circa hanc difficultatem. pag. 47.
- Se^{ct.} 3. Secunda sententia refellitur. pag. 55.
- Se^{ct.} 4. Duplex alia deseriitur sententia. pag. 59.
- Se^{ct.} 5. Sententia nostra proponitur, & fulcitur. pag. 63.
- Se^{ct.} 6. De annis Regni Saul multiplex deseriitur sententia. pag. 67.
- Se^{ct.} 7. Saulis res gestas per summa capita refert. pag. 72.
- Se^{ct.} 8. Instauratur oppugnatio sententiae de duobus praecise annis Regni Saul, & alia eiusdem placiti expositio rejicitur. pag. 78.
- Se^{ct.} 9. Explicatur denuò nostra sententia, & obiectionum solutione constabatur. pag. 85.

DISSERTATIO SEXTA.

De annis Regni Asa.

Ad intelligentiam lib. 3. Reg. capit. 16. Et lib. 2. Paralipomenon, cap. 16.

- Se^{ct.} 1. Quaedam praemittit de Davide, Salomone, & alijs Regibus usque ad Asa. pag. 95.
- Se^{ct.} 2. Gravem expendit difficultatem ex locis, in Dissertatione indicatis, procedentem, circa annos Reyni Asa. pag. 107.
- Se^{ct.} 3. Prima refellitur solutio. pag. 109.
- Se^{ct.} 4. Impugnatur alia solutio. pag. 113.
- Se^{ct.} 5. Alia fundamenta adversum eandem sententiam. pag. 116.

INDEX

Se^{ct.} 6. Sincerum esse utrumque locum lib. 2. Paralipomenon, & 3. Reg. ostendit, ac stabilit. pag. 121.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De annis Regni Foram Regis Judae.

Ad intelligentiam lib. 3. Reg. cap. 22. & 52. Et lib. 4. Reg. cap. 1. & 17. cap. 3. & 1. Et cap. 8. & 16.

- Se^{ct.} 1. Quaedam praebat de Chronologia Regum Judae, & Israel, ab Asa usque ad Foram utrumque. pag. 127.
- Se^{ct.} 2. Praecipuam expendit difficultatem: & Lyra rejicit solutionem. pag. 137.
- Se^{ct.} 3. Aliam refert, & oppugnat solutionem. pag. 140.
- Se^{ct.} 4. Duplicem aliam infringit solutionem. pag. 143.
- Se^{ct.} 5. Potiorem difficultatis tradit enodationem. pag. 148.

DISSERTATIO OCTAVA.

De annis vita Ochozia Regis Judae.

- Ad intelligentiam lib. 4. Reg. capit. 8. & 26. Et lib. 2. Paralip. cap. 22. & 2.
- Se^{ct.} 1. Expendit difficultatem. pag. 157.
- Se^{ct.} 2. Prima solutio oppugnatur. pag. 158.
- Se^{ct.} 3. Secundam refellit solutionem, & vulgata lectio propugnatur. pag. 161.
- Se^{ct.} 4. Inefficacia esse argumenta ostendit, qua

INDEX.

In vulgata editione irrepisse mendum, suadent. pag. 165.

Secl. 5. *Secunda solutio, & conciliatio textus utriusque, videlicet libri Regum, & Paralip. proponitur, ac deservitur. pag. 170.*

Secl. 6. *Tertia solutio proponitur, ac refellitur. pag. 174.*

Secl. 7. *Præferendam proponit, & communit sententiam. pag. 182.*

Secl. 8. *Obiectiones infringit. pag. 188.*

Secl. 9. *Quædam difficultas ad intelligentiam textus lib. 4. Reg. capit. 8. v. 16. enodatur. pag. 196.*

DISSERTATIO NONA.

De annis Joachin Regis Judæ, cum regnare cœpisset.

Ad intelligentiam textus lib. 4. Reg. cap. 24. v. 8. Et lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 9.

Secl. 1. *Proposita difficultate, aliquas refutat sententias, & potiorē stabilit. pag. 206.*

Secl. 2. *De numero, & nominibus filiorum Josiæ, pro ulteriori difficultatis elucidatione. pag. 210.*

DISSERTATIO DEZIMA.

De Judæorum Babylonica captivitate, præcipuè de eius initio, ac fine.

Ad intelligentiam Isaia cap. 1. v. 7. & seqq. Capit. 2. v. 10. & seqq. Cap. 7. v. 17. & seqq.

Et

INDEX.

Et cap. 41. ad 47. ubi de liberatione Israel è Babylone per Cyrum, signanter cap. 45. Jeremia per omnia ferè capita, & Threnos. Baruch. per sex cuncta capita. Ezechielis, à cap. 1. vsque ad 24. Et cap. 40. Daniel. cap. 1. & 2. v. 1. & quidem Daniel adhuc juvenis, aut decennis puer abductus fuit Babylonem, ubi vixit, prophetavit, ac mortuus fuit.

De eadem captivitate, & liberatione Judæorum prophetavit Joel, cap. 1. & 2. Amos, capit. 2. v. 4. & 5. cap. 6. v. 9. & seqq. cap. 9. v. 1. & seqq. Abdias, cap. unico. Michas, cap. 1. v. 10. & seqq. cap. 2. 3. 4. 6. v. 9. & seqq. cap. 7. Habacuc, cap. 1. 2. 3. Sophonias, capit. 1. 2. & 3. Zacharias, cap. 1. v. 12. pag. 219.

Secl. 1. *Multiplex Hebræorum captivitas describitur. pag. 220.*

Secl. 2. *Triplex circa initium Babylonicæ captivitatis sententia refellitur. pag. 230.*

Secl. 3. *Nostram sententiam proponit, ac fulcit; & oppositæ exinde ulterius refelluntur. p. 237.*

Secl. 4. *Ex alijs Sacræ Scripturæ locis sententia nostra fulcitur. pag. 244.*

Secl. 5. *Præcludit adium solutioni, quam Auctores aliqui argumentationi nostræ adhibent. pag. 250.*

Secl. 6. *Obiectionem diluit, quæ captivitatis Babylonicæ initium sub Josia Judæ Rege collocat.*

Ff 3

Ubi

INDEX

- Ubi de eversione Ninives Assyriorum Regia.*
pag. 263.
- Seçt. 7. *Alia excinditur obiectio, ubi de successoribus Nabuchodonosoris.* pag. 269.
- Seçt. 8. *Alia elevatur obiectio.* pag. 276.
- Seçt. 9. *Ostendit, non esse computandos septuaginta annos captivitatis Babylonyca à transmigratione Jechonia.* pag. 281.
- Seçt. 10. *Quando finita fuerit septuagenaria Babylonica captivitas, ostendit, & initium ipsius demagis consulit, oppugnata presertim distinctione inter annos captivitatis, ac desolationis.* pag. 289.
- Seçt. 11. *Recte Chronologia consentiens ostendit nostrum placitum: annosque Regni Nabuchodonosoris, eiusque successorum stabilit.* pag. 297.
- Seçt. 12. *Due obiectiones diluuntur.* pag. 303.
- Seçt. 13. *Obiectionem ex Zacharia cap. 1. v. 12. deductam infringit.* pag. 306.
- Seçt. 14. *Difficultas ex Jeremie capit. 25. v. 1. compositio cum Daniellis capit. 1. v. 1. enascens elevatur: primusque annus Magni Nabuchodonosoris Regni, & quando Joachimum captivum in Babyloniam duxerit ostenditur* p. 311.
- Seçt. 15. *Dissolvitur obiectio desumpta ex lib. Esther cap. 2. & 11.* pag. 318.
- Seçt. 16. *Infringitur obiectio desumpta ex annis vite Daniellis.* pag. 321.

Sec-

INDEX.

- Seçt. 17. *Elevatur obiectio deprompta ex fletu Sacerdotum, & Seniorum, qui viderant Templum prius destructum, & aliud denuò edificatum, ex lib. 1. Esd. cap. 3. v. 12. & ex Aggai cap. 2. v. 4.* pag. 325.
- Seçt. 18. *Obiectionem ex lib. 4. Esdra, cap. 3. v. 1. Et cap. 4. v. 44. desumptam effringit.* p. 332.
- Seçt. 19. *It obviam argumento ex Regibus Medorum, Persarum, & Aegypti, & Lydorum inductio.* pag. 336.
- Seçt. 20. *Enodatur difficultas ex Era primi Nabonassar, quæ nostram videtur expugnare sententiam.* pag. 347.
- Seçt. 21. *Expenditur obiectio suborta ex Baruch cap. 1. v. 1. 2. & 13. Et ex Daniele capit. 5. v. 2. 11. 18. & 22. Denuòque exponitur Jeremias, cap. 27. v. 6.* pag. 354.
- Seçt. 22. *Nabonassar Era retenta, effringitur prelibata obiectio, & sententia nostra elucidatur.* pag. 362.
- Seçt. 23. *Eadem Nabonassar Era expositio fulcitur ex traditis à Torriello.* pag. 367.
- Seçt. 24. *Post consecraria, quæ adversam effringunt sententiam, nostramque stabiliunt, ostenditur, quòd primus Nabonassar alius fuit à Salmanassare.* pag. 372.
- Seçt. 25. *Olympiadum, & Urbis conditæ initium ostenditur, ut inde sententia nostra lucem novam accipiat.* pag. 378.

Seçt.

INDEX.

- Sect. 26. *Ex Olympiadum, & Urbis condita epocha deducitur septuagenarie Judaeorum captivitatis initium, & finis. Ubi de Cyri Regno in Perside, ac de ipsius Imperio, Babylone devicta. pag. 393.*
- Sect. 27. *Eandem temporis rationem quoad annum ab orbe condito consulit. pag. 404.*
- Sect. 28. *De Dionysiana, & Juliana periodo. pag. 415.*
- Sect. 29. *Proponitur, & elevatur obiectio ex Baruch cap. 6. emergens. pag. 433.*
- Sect. 30. *Confectarium adversus Judaicam perfidiam. pag. 436.*



IN-

INDEX
 QUÆSTIONUM.

- QUÆST. 1. *Utrum eidem Scripturæ loco plures insint literales sensus? à pag. 24. ad 41.*
- QUÆST. 2. *Ut intelligendum quòd Saul fuisset filius unius anni, cum regnare cœpisset? ad text. lib. 1. Reg. cap. 13. v. 1. à pag. 43. ad 66.*
- QUÆST. 3. *Ut intelligendum quòd duobus annis regnavit Saul? ad eundem textum: Et Acto- rum cap. 13. v. 21. à pag. 67. ad 87.*
- QUÆST. 4. *Quot annis Arca manserit in Cari- thiarim? ad text. lib. 1. Reg. capit. 7. v. 2. à pag. 88. ad 94.*
- QUÆST. 5. *De annis Regni Asà, ad text. lib. 3. Re- gum, cap. 16. v. 8. & 23. tum lib. 2. Paralip. cap. 16. v. 1. à pag. 107. ad 126.*
- QUÆST. 6. *Qua ratione verum sit, quòd Joram Rex Judæ regnaverit anno quinto Joram se- lij Achab, Regis Israel? ad text. lib. 4. Regum, cap. 8. v. 16. Et lib. 4. Reg. cap. 1. v. 17. tum cap. 3. v. 1. Et cap. 8. v. 16. à pag. 137. ad 156.*
- QUÆST. 7. *Utrum viginti duorum annorum fuis- set Ochozias, cum regnare cœpisset in Jerusa- lem? ad text. in lib. 4. Reg. capit. 8. v. 26. Et lib.*

INDEX.

lib. 2. Paralip. capit. 22. V. 2. à pag. 157. ad 195. Ubi vulgata propugnatur editio.

Quæst. 8. Ut verum habeat, quòd anno quinto Foràm filij Achab, Regis Israel, regnaverit Foràm filius Josaphat, Rex Judæ? ad text. lib. 4. Reg. cap. 8. V. 16. Et lib. 4. Reg. capit. 3. V. 1. à pag. 196. ad 206.

Quæst. 9. An Joachin Rex Judæ decem octo annorum fuisset, cum regnare cœpit? ad text. lib. 4. Reg. cap. 24. V. 8. Et lib. 2. Paralip. capit. 36. V. 9. à pag. 206. ad 218. Ubi de numero, ac nominibus filiorum Josie Regis Judæ.

Quæst. 10. Utrùm septuagenaria Babylonica Judæorum captivitas inchoata fuerit anno decimo tertio Josie Regis Judæ? ad text. Jeremia cap. 25. V. 3. Daniel. cap. 5. V. 2. pag. 231. & à 263. ad 271.

Quæst. 11. Utrùm pralibata captivitas initium habuerit anno primo Imperij Nabuchodonosoris, seu anno tertio, aut octavo Joakim, Regis Judæ quando ipse captus fuit? ad text. in c. 1. Dan. V. 1. pag. 232. à pag. 232. ad 236.

Quæst. 12. An septuaginta anni captivitatis à Jeremia prænuntiati ab ultima Jerusalem clade, Urbis scilicet, Templique conflagratione sub Sedecia Rege Judæ inchoandi sint? ad text. Jeremia cap. 25. V. 1. & seqq. usque ad 12. Et cap. 26. V. 6. Daniel. cap. 9. V. 2. lib. 2. Pa-

INDEX.

ralip. cap. 36. V. 22. lib. 1. Esdrae, V. 1. pag. 237. & inde fusè.

Quæst. 13. Utrùm distinguendum sit initium Babylonica septuagenaria Judæorum captivitatis ab initio desolationis septuagenaria Jerosolymorum, & Templi? ad text. in 12. quæst. præcitatos, necnon lib. 4. Regum cap. 25. V. 8. à pag. 250. ad 280. & 289. & inde fusè.

Quæst. 14. Utrùm Magnus Nabuchodonosor fuerit avus, an verò pater Balthasaris, ultimi Chaldeorum Regis? ad text. Jeremia cap. 27. V. 7. à Daniel. cap. 5. V. 2. Baruch. capit. 1. V. 11. à pag. 269. ad 276.

Quæst. 15. Utrùm septuaginta anni Babylonica captivitatis computandi sint à transmigracione Jechonia, seu Joakini? ad text. lib. 4. Regum, cap. 25. V. 12. & 14. Jeremia cap. 29. V. 10. Ezechiel. cap. 1. V. 2. & seqq. Matthæi cap. 1. V. 11. pag. 281. ad 288.

Quæst. 16. Utrùm septuaginta anni Babylonica captivitatis terminati fuerint anno primo Imperij Cyri, eodem anno adepti libertate? ad text. lib. 2. Paralip. capit. 36. V. 20. & seqq. lib. 1. Esdrae, cap. 1. V. 1. Isaia cap. 44. V. 28. Et cap. 45. V. 1. Jeremia, cap. 25. V. 12. pag. 289. & inde fusè.

Quæst. 17. Quot annos regnaverint Nabuchodo-

INDEX.

- nosor, eiusque successores usque ad finem Regni Chaldaeorum? ad text. lib. 4. Reg. cap. 24. v. 12. Et cap. 25. v. 8. & 27. lib. 2. Paralip. capit. 36. v. 18. Jerem. capit. 52. v. 12. à pag. 297. ad 306.
- Quaest. 18. Utrum septuaginta anni captivitatibus completi fuerint anno secundo Darij? ad text. Zacharia cap. 1. v. 12. Et cap. 7. v. 5. à pag. 36. ad 312.
- Quaest. 19. Utrum primus Regni Nabuchodonosoris annus respoñdeat anno tertio, an quarto Joakimi Regis Judae? ad text. Jeremie cap. 25. v. 1. Et cap. 52. v. 28. componendum cum Daniel. cap. 1. v. 1. à pag. 311. ad 317.
- Quaest. 20. Utrum Mardocheus fuerit de numero captivorum, quos transtulit Nabuchodonosor Rex Babylonis cum fechonja Rege Judae? ad text. lib. Esther, cap. 2. v. 5. & 6. Et capit. 11. v. 4. à pag. 318. ad 321.
- Quaest. 21. Quo anno vitæ suæ Daniel abductus fuit Babylonem? ad text. Danielis cap. 1. v. 1. à pag. 321. ad 324.
- Quaest. 22. Utrum Sacerdotes, & Seniores qui viderant secundum Templum à Zorobabele, & Socijs post captivitatis solutionem edificatum, videre potuissent primum quod à Nabuchodonosore, & ipsius duce Nabuzardan fuit concrematum? ad text. lib. 1. Esdra cap. 3. v. 12. Et Aggai, cap. 2. v. 4. à pag. 325. ad 332.

INDEX.

- Quaest. 23. Utrum septuagenaria Babylonica captivitas soluta, & Jerosolymitana Civitas reedificata anno ab illius conflagratione trigesimo? ad textum Esdrae lib. 4. cap. 3. v. 1. Et cap. 4. v. 44. cap. 10. v. 27. à pag. 332. ad 336. ubi asseritur an idem Esdras fuerit Author lib. 1. & 2. ac 3. & 4.
- Quaest. 24. An ex Chronologia Regum Medorum, Persarum, Aegypti, & Lidorum evincatur, Babylonicam captivitatem exordium habuisse anno decimotertio Josie Regis Judae? à pag. 337. ad 346.
- Quaest. 25. Utrum Nabonassar's Era, ut ab aliquibus traditur, admittenda: congruæ sit Sacre Scripturae? ad text. Jeremie capit. 27. v. 7. à pag. 347. ad 353.
- Quaest. 26. Utrum Balthasar fuerit Evilmerodach, apud Daniele cap. 5. v. 2. 11. 18. & 22. vel idem qui apud Baruch cap. 1. v. 1. 2. & 11? exindeque prelibata Nabonassar's Era rejicitur, exponiturque Jeremias capit. 27. v. 6. à pag. 354. ad 361.
- Quaest. 27. Utrum supposita Nabonassar's Era ex probatissimis Authoribus. initium, & finis Babylonicæ septuagenariæ captivitatis, iuxta propugnatam in hoc opere sententiam, stabiliatnr? ad text. lib. 4. Reg. capit. 20. v. 12. Isaia cap. 39. v. 1. Et Ezechielis capit. 1. v. 1.

INDEX.

- ¶ 2. Ubi ostenditur quod Nabonassar est idem qui Baladan apud Isaiam cap. 39. v. 1. aliisque à Salmanassare, non item Babyloniorum Rex, sed Babylone pro Rex, pro Assyriorum Rege, aut solum fuit Rex vœtligalis: à pag. 362. ad 377.
- Quæst. 28. Utrum Olympiadum, annorumque ab Urbe condita temporis ratio sententia, qua n de initio, & sine Babylonica captivitatè aptè cohereat? à pag. 378. ad 404. ubi Olympiadum exordium, & primus ab Iphito Urbis conditæ annus ex probatissimis Auehoribus ostenduntur; nec non stabilitur duplex regnandi initium Cyro esse tribuendum, alterum in Perside, quod in annum primum Olympiadis quinquagesimæ quintæ cadit, id est, in annum trigesimum octauum captivitatè Babylonicæ, & Templi, ac Judææ desolationis; alterum Babylone, quando ea capta, devicto Balthasare, Imperium Babylonicum transijt in iura Persarum, & de hoc anno scripturam Esuræ lib. 1. cap. v. 1. & omnes passim Interpretes intelligi debere: ac tandem Vulgata editio quoad annos ab orbe condito adusque Christi Domini nativitatem constabillitur, à pag. 404. ad 414.
- Quæst. 29. Utrum Juliana Perïodus utilis valde sit ad Chronologiam rectè ducendam ab orbe condito: ubi Dinyfiana Perïodus, tum Cycli

So.

INDEX.

- Solares, Lunares, & Romanæ Indictiones elucidantur, à pag. 415. ad 432.
- Quæst. 30. Utrum Generationes septem, de quibus Baruch cap. 6. v. 1. & seqq. intercedere debuerint ex quo septuagenaria Babylonica Judæorum captivitas inchoata fuit usque ad solutionem ipsius, anno scilicet primo Imperij Cyri, à pag. 433. ad 436.

FINIS.



Faint, illegible text at the top of the left page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the middle of the left page, possibly bleed-through from the reverse side.



